CONSTITVTIONES
ORDINIS FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI
NVPER RECOGNITAE,

ET NON NVLLA ALIA,

QVORVM SERIEM SEQVENS

PAGINA INDICABIT.



ROMAE apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem.
Anno Dñi. M. D. LI.

SERIES EORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

LITERAE Reuerēdiſſimi D. Protectoris quibus teſtatur S. D. N. Iuliū Papam .III. conſtitutiones totius ordinis fratrum Eremitarum benedixiſſe.

EPISTOLA Reuerendiſſimi Patris Generalis Magiſtri Hieronymi Seripandi, cum confirmatione S. D. N. ſuper decreto impreſſionis librorū, viuæ vocis oraculo Reuerendiſſimo D. Protectori facto.

REGVLA Sancti Patris noſtri Auguſtini cum expoſitione Vgonis de ſancto Victore.

CONSTITVTIONES ordinis prædicti, nunc denuo recognitæ.

CALENDARIVM cum additione aliquorum ſanctorum qui aſcripti nō erant.

ORDINARIVM eorum quæ in Eccleſia, aut in refectorio ad Dei laudem agenda, dicenda, vel cantanda ſunt.

COMENTARIVM rerum noſtri ordinis cum Elencho ſanctorum, ac Beatorum, atq; ſerie Prouinciarum & congregationum eiuſdem ordinis.

ERRORES deniq;, qui vel incuria impreſſorum (vt fieri ſolet) vel alia de cauſa euenerūt, ſingulis partibus appoſiti ſunt, vt qui eos inuenerint, quomodo emendandi ſint, videant.

MARCELLVS CERVINVS MISERATIONE
*diuina tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsbiter Cardinalis, totius
ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Protector Vniuersis et singulis præsentes nostras
literas inspecturis, lecturis, & audituris, notum facimus, & attestamur, Qualiter Sanctissimus in
Christo pater & Dominus noster Dominus Iulius diuina prouidentia Papa Tertius, Cupiens, ut
ea unitas quam ab unitate regulæ & constitutionum maximè pendere dignoscitur, quātum fieri po
terat, indiuisa perseueraret, & nullo pacto scinderetur, Motu suo proprio, et non ad alicuius super
hoc sibi oblatæ petitionis instantiam, sed de sua certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine,
constitutionibus à Reuerendo nobis in Christo Hieronymo Seripando moderno dicti ordinis fratrū
Eremitarum Priore Generali cum consilio deputatorum omnium nationum ex decreto Capituli Ge
neralis in alma Vrbe anno M. D. XLIII. & Recaneti M. D. XLVII. annis proximè præteri
tis celebrati reformatis, & in dicta Vrbe impressis, Apostolica auctoritate benedixit, & eas solas
uniuerso Ordini prædicto, ac omnibus illius tam reformatis quàm non reformatis Prouincijs ac Cō
gregationibus etiam de obseruantia nuncupatis, communes Constitutiones esse uoluit, et mandauit
Quòdq; extunc de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes Constitutiones, quæ in quibuscumq;
Prouincijs seu Congregationibus de obseruantia nuncupatis dicti ordinis antea sancitæ erāt, et extūc
imposterū sancirētur, non Cōstitutiones, sed diffinitiones existerēt, et Diffinitiones, et non Constitu
tiones nuncuparentur, seu denominarentur, ac eatenus ualidæ essent, quatenus à pro tempore existēte
Priore Generali confirmarentur, unà cum Electis siue Prouincialibus, siue Vicarijs Congregatio
num, et alijs actis Capitulorum tam Prouincialium q; Congregationum huiusmodi, Et cum in toto or
dine prædicto unus tantum existeret Prior Generalis, cui omnes dicti ordinis fratres etiam de obser
uantia nuncupati, obedientiam uouerent, Et q qui præerant Prouincijs Prouinciales, Qui uerò Con
gregationibus præerant Vicarij Generales Congregationum huiusmodi nuncuparentur, Et nemo
absolutè Generalis sub pœna excommunicationis, et priuationis uocis actiuæ et passiuæ, ac actuum
legitimorum nominari posset, Quòdq; unum tantum existeret Capitulum Generale totius ordinis,
Cætera uerò Capitula Prouincialia aut Congregationum nuncuparentur, Et quòd forma professio
nis, quæ in dictis Constitutionibus posita erat, et in illam usq; diem in toto ordine prædicto obserua
batur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ non immutaretur, Et insuper statutum XL.
capite Constitutionū huiusmodi descriptum de his qui ad Capitulum Generale conuenire deberent,
ac de pœna non ueniētium, omnibus et singulis tam Prouincijs q; Cōgregationibus etiam de obseruā
tia nuncupatis in Italia et extra eam consistentibus, commune existeret authoritate prædicta
perpetuò inter cætera statuit et ordinauit in cōtrarium faciētibus, nō obstantibus quibuscunq;, In
quarum fidem præsentes manu nostra propria subscriptas exinde fieri, et per Secretarium nostrum
infrascriptum subscribi mandauimus, Sigilliq; nostri quo in talibus utimur iussimus, et fecimus appē
sione communiri. Dat. et actum Romæ in ædibus nostræ solitæ residentiæ, sub anno à Natiui
tate Domini. M. D. LI. Indictione nona Die uerò X X I. mensis Aprilis, Pōtificatus
prælibati D. N. Papæ anno secundo.*

Ita est M. Card. sanctæ Crucis in Hierus. Protector manu propria.

Hier. Bellarmineus de mandato.

FRATER HIERONIMVS NEAPOLITANVS ORDINIS EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI, PRIOR GENERALIS INDIGNVS,

REVERENDO PATRI PROCVRATORI GENERALI, ET VENERABILIB. PATRIBVS PROVINCIALIBVS, VICARIIS CONGREGATIONVM, AC PRIORIBVS LOCORVM EIVSDEM ORDINIS ET VOTI, SALVTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CONSILII non tam noſtri, q̃ Patrum illorum, qui duobus ꝓximis Generalibus capitulis Romano, & Recanateñ. non affuerunt modo, verum etiam vnà nobiſcum præfuerunt, de reformandis, hoc eſt, in formam his noſtris temporibus, ac moribus aptiorem redigendis Patrũ noſtrorum decretis, quas conſtitutiones appellamus, rationem exponere, operę prætium, ac neceſſarium exiſtimauimus, cum vt nihil temere, nihil ſine magna, et vrgenti ratiõe à nobis factum fuiſse, intelligant omnes, tum etiam, vt cur quidq; ſiue mutatum, ſiue demptum, ſiue additum ſit, nemo non cognoſcat, et alios quoq; docere poſſit. Primum omnium, nemo eſt qui neſciat, vnam tantum æternã et immutabilẽ eſse legem, quæ diuina illa mens eſt, qua mũdus vniuerſus conſtitutus eſt, et regitur, diciturq; vera, et ſumma ratio, rerum omniũ moderatrix prouidentia, ac infinita ſapientia, quæ attingit à fine vſq; ad finẽ fortiter, et diſponit omnia ſuauiter, ad quã omnis humana lex, ſiue naturalis, ſiue ſcripta dirigitur, cum nihil inter homines, neq; iuſtum neq; legitimum eſse poſſit, quod aliunde q̃ ex ęterna illa lege deriuetur, Hęc cũ omnibus, vna ſemper, ac eadem voce loquitur, illa ſcilicet, quam breuiter ſummatimq; Paulus deſcripſit Apoſtolus cum dixit, omnia honeſte, et ſecundum ordinem fiant, verum cũ rerũ et temporũ mutabilitas et incõſtantia, multorũq; hominum verſuta malitia, per quam ſanctiſſimis quoq; legibus tenduntur inſidię, efficiant vt lex, quę iuſta quondam, & ſancta, ſalutariſq; fuit, illa eadem mutatis hominum moribus, & voluntatibus, iniqua, nefaria, atq; exitioſa videatur, neceſſarium fuit, legum omnium humanarum frequentes, & varias eſſe mutationes, vt ad æternam illam conformentur, cuius ſempiternum, & immutabile præceptum eſt, vt omnia honeſte, & ordi

nate fiant,Hoc igitur primum fuit, quamobrem iusserunt Patres leges siue constitutiones Ratisponenses, diligenter examinari, ne quid forte in illis esset, nostrorum temporum honestati & ordini,non perinde congruens,& accommodatum,quemadmodum tum erat,quando illæ vel primum in Vrbe veteri,sancitæ ac promulgatę,vel postea Florentiæ & Ratisponæ, confirmatæ, roboratæq; sunt, Deinde,cũ turpe sit, his legibus obstrictos esse quæ negligant,pinde celeberrimi quiq; legis latores,custodes suis legibus adhibuerunt,qui eas interpretarentur,ad illarumq; normã omnes omnium ciuium actiones exigerent,cauerentq;,ne quid aduersus earum iussa siue scita impune committeretur,quorum sceptrũ Vates celeberrimus, sceptrum vocat exactoris,cumq; multa in nostris legibus,continerentur,bona illa quidem & iusta mandata,sed quæ cum Eremo potius, & austeriore illa Eremitarum sancta rusticitate & disciplina congruerent, q̃ cum ciuitatibus & locis,quæ nunc incolimus,illa quidẽ omnia,tanquam iam diu antiquata & his temporibus parum accommodata,quæq; in vsum reuocari nunquam possent,abroganda,& ex legum codice expungenda existimarunt,cum pręsertim neq; in vsu,atq; obseruantia penes illos nostrorum hominum cætus reperiantur,qui de obseruantia à seueriore quodam vitæ genere, & arctiore legum custodia,nuncupantur, Animaduerterunt postea ab ædi tis antiquis illis Ratisponensibus legibus,siue constitutionibus, nonnulla iuxta temporum & rerum varietatem,sub diuersis Generalibus Prioribus, sanctissima,& nostris his temporibus aptissima decreta confecta fuisse, quæ cum legis uim nondum obtinuissent,definitiones more maiorum,vocabantur,de quibus habito delectu,inter leges quæ firmiores,diuturnioresq; sũt, ac vim obtinent longe maiorem,numerandis,& intra corpus cõstitutionũ reponendis,iam tempus erat, vt ageretur,id quod Patres ex omni natione ad hæc diligenter examinanda & conficienda, Romæ delecti egregie curauerunt,ita vt non amplius ad multos variosq; codices definitionum recurrendũ sit,cũ vnus hic,quẽ nũc vobis damus,oĩa cõplectatur,quæcũq; sancta quæcũq; iusta,quæcũq; honesta,quæcumq; secundũ ordinẽ scripta sunt,decreta, sub sapientissimis amplissimisq; Patribus nr̃i ordinis moderatoribus, THOMA ARGENTINATE, GREGORIO ARIMINEN. & qui Paulo ante nostra tempora fuerunt, AMBROSIO CORIOLANO, ANSELMO MONTEFALCONIO deniq; quæ sub integerrimo,& in omni doctrinæ genere excellentissimo eloquentissimoq; Patre, iuuentutis nostræ Magistro & institutore, EGIDIO VITERBIENSI,adiecta fuere,Quibus ad iungi quoq; voluerunt illa,quæ præsidẽtibus nobis, tribus proximis Generalibus capitulis definita sunt, de eliminanda præsertim infami & pestilenti Luterani nominis,uel minima quacũq; suspicione. Sed quia et nos,et nostros in his cogitationibus socios, quæ ad communem Augustinensium omnium honestatem,vtilitatem, trãquilitatem, salutem pertinent,illud ad hoc opus maturandum potissimum compulit,quod cum quotidie fere de nonnullis, vt inter homines accidit,

nouis causis iudicandum esset,de quibus vel nihil,vel nō satis aperte in antiquis legibus,caueretur, illud oriebatur incommodum,quod illæ decernebantur non ad legum normam,sed ad hominum, qui vel vniuerso ordini, vel Prouinciis,vel locis præerant,arbitrium & voluntatem,vnde quāta bone Deus, oriebatur in moribus varietas, in iudiciis infirmitas,in controuersiis appellationes,& tergiuersationes, in mulctis querelæ,dicentium se nō secundun legem,sed secundum hominem iudicari atq; illud vsurpantium, Qui iubet præesse legem iubet præesse Deum,qui adiungit hominē,adiungit,& belluam,quæ quidem incommoda omnia,ac multo etiā plura, reformatis his legibus sublata iri Deo adiuuante confidimus. Postremo verebantur prudentissimi homines,& pacis,atq; concordiæ studiosissimi,ne aliquæ siue nationes,siue Prouinciæ,siue congregationes,nostra abuterentur in corrigendis legibus negligentia,ipsæq; sibi honesti rectiq; specie decepti peculiares conderent leges, easq; constitutiones etiam appellarent,quarum condendarum potestatem,penes vnicum totius ordinis Generale capitulum maiores nostri diuini humaniq; iuris vere,& sine fuco, & fallaciis obseruantissimi,esse voluerunt,Quo dissidio nullum certe neq; periculosius,neq; perniciosius neq; arrogantius excogitari potuisset,Nā quod ad regulam attinet, Sanctissimi Patris AVGVSTINI,cum aliis xxiiii.religiosorum hominum ordinibus sociamur,Nisi ergo in constitutionibus vnus sit nrm omniū cōsensus, qui cōmuni nomine Eremitæ Augustineñ appellamur,quæ maior erit nobis inter nos,quàm cum illis ordinibus consensio? quæ maior morum conuenientia? qui maior actionum concentus,atq; consensus? Id scilicet fuit,quod tam piè & sanctè, ALEXANDER .IIII.PONT. MAX cogitauit,qui primum diuersorum nominum Eremitas in vnum nostrum Eremitarum Augustinensium nomen & ordinem coegit, congregauitq;,vt post tot annos,nominibus,legibus,votis,institutis scinderemur,et quemadmodum ille cura vere pastorali ac Pontificia multos in vnum coadunauit,ita nos vnum illud,in plurima contumaciter & arroganter partiremur, Vidit hoc periculū,magnus ille oīs diuinæ atq; humanæ sapiētiæ suo tempore facile Princeps, MARIANVS GENNAZANENSIS, cui etiam obuiam ire (vt optimum Patrem,& Rei suæ publicæ,magno amore inflāmatū decuit) vehementer optauit, Quod profectò perfecisset,nisi in itinere cum è Puteolanis balneis in Vrbem ad ALEXANDRVM PONT. huius rei gratia reuerteretur,animo ille æquissimo, tanq̄ dolorum miseriarumq; omniū finem adipisceretur,ac beatam & sempiternam vitam assequeretur, diē suū obiisset,maxima certe cum nostra calamitate,& bonorum omnium doctorumq; virorum dolore & gemitu,Tanta erat vir ille & apud Pontificem ,& apud omnes Italiæ principes authoritate & gratia , Quod igitur illius acerba immaturaq; mors ad hæc vsq; tempora retardauit,a nobis accipite,certā scilicet,in veræ obedientiæ,paupertatis,castitatisq; votis,viuendi legē atq; disciplinam,quam vt dare vobis,aliquando tandem,multis & magnis superatis difficultatibus possemus,incredibili IVLII.III. PONT. MAX. æquita-

te & clementia,ac singulari MARCELLI CERVINI CARD. S. CRVCIS patrocinio impetratum est,quem vnum,iustum illum esse,& tenacem propositi virum,in arduis plerisq; & molestis,ad nostrum ordinem pertinentibus negociis,persæpe experti sumus, Nostri nunc Patres, optimi muneris est,ad harum legum normam vitam & actiones nostras primum,fratrum deinde nostrorum dirigere,Nam Minois maximi Cretensium legislatoris, illa fuit præcipua laus,quod non,vt improbi homines,alia doceret,alia faceret, Nos quoq; à Dño nostro Iesu Christo,hoc est á veritate ipsa didicimus cum qui fecerit & docuerit,magnum futurum esse in regno cęlorum.

Addidimus eum,qui diuini cultus totum ordinem continet,libellum,cum epistola prudentissimi Patris GABRIELIS VENETI,cuius primum opera, studio,labore,industria,cum nondum totius ordinis habenas teneret,sed uni tantum Taruisinę Prouinciæ præesset,Ratisponenses leges, cum hoc ipso ordinario libello in lucem prodierant. De compendio uero historiarum ordinis,nihil nobis dicendũ est, quando in illo opere præfandi curam illis reliquimus,a quibus collectum est,qui etiam illud idem opus vberius & copiosius dare parati sunt, cum a vobis, de rebus,quas vestigare ipsi non potuerunt,admoniti fuerint, Quod,vt faciatis, & illorũ, & nostro nomine, etiam atq; etiam vos rogamus obsecramusq;, Reliquum est, vt de pecuniis in his excudendis libris expensis,nostrum vobis consiliũ exponamus,& quod iam diu ad studiosorum vtilitatem deliberauimus,exequamur, summam conficiunt CLXX. scutorum aureorum, pecuniæ quas in hoc opere perficiendo expensas tulimus, Eas omnes, quemadmodum a vobis pro collecta,quæ singulis annis,ad nostræ, sociorũq; nostrorum vitæ subsidium numeratur,accepimus,ita vobis,hoc est,communi ordinis honori, ac studiosorum commodo restituimus, donamusq;, hac tamen lege, vt ęrarium sint perpetuum excudendorum,illorum primum librorum, qui a priscis ordinis nostri doctoribus scripti, in omni disciplinæ genere sunt, & in nostris hactenus bibliothecis,non sine magno nominis illorum communiumq; studiorum detrimento,inertięq; nostræ accusatione iustissima delituerunt, Illorum deinde qui scripturi in posterum sunt,modo sanis, puris, ac catholicis,omniq; suspitione carentibus, patrum vestigiis inhæreant,impetrata primum licentia,& examinatis libris iuxta dispositionem sacrosancti Tridentini concilii, Quare præsentium literarum tenore, nostriq; officii authoritate decernimus & statuimus, vt hi constitutionum libri, a R. P. ordinis Procuratore,& Venerabilibus Priore conuentus, & Regente studii nostri Romani, qui nunc sunt,siue pro tempore erunt,per Prouincias, congregationes,locaq; nostra,iusto constituto prætio diuidantur,collectaq; ab iis qui libros acceperint, præfata pecuniæ summa,vtantur ea,edendis maiorum nostrorum libris,lucubrationibusq; doctissimis,eo seruato ordine, qui & studiosis vtilior,& publicæ commoditati aptior videatur, Mãdantes sub pęna excommunicationis latæ sententiæ,quam trina canonica monitione præmissa ferimus, ne vlla quantumuis parua harum pecuniarum pars, in alium quàm in hunc,quem expressimus vsum,conuertatur,sed huic tantum

rei perpetuo, continentiq; ordine deseruiat, Quod nostrum decretum ne irritum unq̄ fiat, sed apud posteros inuiolatum maneat, firmitatemq; & robur habeat perpetuum, sanctæ sedis Apostolicæ authoritate confirmari ac roborari curauimus, Valete in Domino amantissimi fratres. Gratia. D. N. IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis. Amen. Datum Pausilypi. Die prima Aprilis. M. D. LI. Nostri officii solito subsigillo.

F. Hieronymus. G. indignus.

Registratæ Lib. 7.

MARCELLVS CERVINVS *miseratione diuina tituli sanctæ Crucis in Hierusalem S. R. E. præsbiter Card. & ordinis Eremitarum sancti Augustini Generalis Protector, Vniuersis & singulis præsentes nostras literas inspecturis, lecturis, & audituris, notum facimus & attestamur, qualiter per nos Sanctiss. in Christo Patri & D. D. Iulio diuina prouidentia Papæ tertio exposito ꝙ Reuereñ. Magister Hieronymus Seripandus Neapolitanus totius dicti ordinis Eremitarum Prior Generalis certum fecerit decretum super nonnulla pecuniarum summa et à religione debita pro impressione Constitutionum ad uniuersum ordinem pertinentium, & ab ipso Priore Generali eidem ordini liberaliter in certum tamen usum donata, ut scilicet dicta pecunia sit ærarium perpetuum excudendorum librorum, tum qui à priscis ordinis illius Doctoribus scripti in omni disciplinæ genere sunt, tum ab ijs qui futuri sunt, describentur, iuxta dicti Prioris Generalis ordinationem, & decretum, Datum Pausylipi die prima Aprilis. M. D. L I. Quod decretũ ipse Generalis cupiens pro eius firmiori subsistentia, per eundem Sanctissimum Dominum Nostrum Apostolica authoritate approbari, sua Sanctitas uiuæ uocis oraculo nobis facto, ad supplicationem etiam nostram decretum præfatum, & omnia in eo contenta Apostolica authoritate approbauit & confirmauit, ac in toto ordine obseruari perpetuò uoluit, statuit atq; decreuit. In quorum fidem, & testimonium præsentes literas manu nostra propria subscripsimus, sigilliq; nostri quo in talibus utimur iussimus & fecimus appensione muniri.*

Dat. Romæ in ædibus nostræ solitæ residentiæ sub anno à Natiuitate Domini M. D. L I. Indictione nona, Die uero. XXII. mensis Aprilis, Pontificatus S. D. N. Iulij Papæ Tertij anno secundo.

Ita est M. Card. S. Crucis in Hierusalem Protector manu propria.

Errata haec in Regula, et eiuſdem expoſitione omittere noluimus, quorum alia impreſſoris oculos, ut ferè ſemper accidit fugerunt, alia uero, uel nos ipſi, priuſq; impreſſioni finem imponeremus uel aliorum conſilio moniti, uel addenda, uel mutanda iudicauimus.

Pagina prima, facie prima, linea.14.dele uerbum illud, tribuatur. li.28. *manaſterio, in monaſterio.* li.30. Et. *quid.* Et *quid.*

Fa.2. li.26 : *recuperauerint, reparauerint.* li.31. *procedetis, proceditis* li.34. *fingantur, figantur.*

Pag.2. *fa. prima*, li.4. *fæmina, fœminam.* li.ea. *in ſe, in ſeipſum,* li.5. *ab alijs non, ab alijs ſe non.* li.10. Abbhominatio, Abominatio, li.14. *ne cæpta, ne malè cœpta.* li 25. *innoteſceret, innoteſcere.*

Fa.2. li.2. *dumtamen, dum tamen.* li.4. *h nc, hinc.* li.18. *fulonibus, fullonibus.* li.28. *imbecillitate etiam, ſiue febribus: imbecillitate, etiam ſine febribus.*

Pag. 3. *fa. prima*, li.7. *cohercendis, coercendis.*

Pag.4. *fa. prima*, li.27. Quòd *ſit*, Et *ſit.* li. *ultima, quæ. ritiſti: non quæ, quærit: iſti non quæ.*

Fa.2. li.38, *dele, tribuatur.*

Pag.5. *fa. prima*, li.29. *relinquære, relinquere.*

Fa.2. li.36, *ſociari, ſociari.*

Pag. 6. *numerus chartarum ſtat.* 11. *&* *debet ſtare.* VI.

Pag. *eadem, fa. prima*, li. 16. *ſeriptum, ſcriptum.*

Pag.7. *fa. prima*, li.6, *audit, audiuit* li. 8 *inquirit, exquirit.* li.36. *præcamur, precamur*

Fa.2. li. 4. *aſueſcamus, aſſueſeamus.* li,37. *reficiendi, reficiendi.*

Pag.8. *fa. prima*, li.15. *non, nos.* li.24. *dele uerbum, eſſe.*

Pag.9 *fa. prima*, li.25. *intetionis, intentionis.* li.34. *prætioſa, pretioſa.* li.36. *mobilibus, mollibus.* li.37. *delectator, delectatur.*

Pag,10. *fa. prima*, li.6. *neq;, ne.* li.9. *debeamus, debemus.* li.13. *opportunitas, occaſio.* li.11. Ne, Nec. li. *ea, ab alijs non uderi, ab alijs non uideri.* li.35. *addendum eſt in principio, penſa.* li. *ultima, pudicitia, pudicitiæ.*

Pagina. 11. *numerus chartarum ſtat.* x. *& debet ſtare.* xi.

Pag. *ea. fa. prima*, li.3. *pudicus eſt, pudicus ſit.* li.30. *et.* 31. *oportunè, opportunè.*

Fa.2. li.20. Melius eſt *enim pro,* Melius *eſt enim ut pro.* li.23. *abſcide, abſcinde.* li.33. *uelit, uelint.*

Pag.12. *fa. prima*, li.5. *sciret, sciuiſſet.* li.6. *percuteret, percuſſiſſet.*

Fa.2. li.33. *omnia, communia.* li. 35. *rem cõmunẽ, adde, quàm propriam.* li.37, Tranſitura, Tranſitoria.

Pag.13. *fa. prima*, li.18. *dele uerbum illud, de proprijs.* li.24. Callidius, Callidus. li.39. *quamlibet, quanlibet.*

Fa.2. li.6 *mundus, mundas.* li.7. *subiecti, subditi.* li.14. *ſimiliter, ſimpliciter.* li.23 Fat, Fiat. li. 6. *ſicipſe, ſic ipſe.* li.38. *ſeruata eſt, ſeruanda eſt.*

Pag. 14. fa. prima, li. 17. doloi, dolori. li. 30. ire debet, ire debebit. li. 35. spectulum, spectaculum. li. ultima, ire debet, ire debebit.

Fa. 2. lib. 16. fratritribus, fratribus.

Pag. 16. fa. prima, li. 9. Iam qui, Nam qui.

Pag. 17. fa. prima, li. 28. premia, præmia. li. 34. charitas, charitas.

Fa. 2. li. 2. ad utilmtem, ad utilitatem. li. 10. consumat, consumet. li. 11. maldictionis, maledictionis.

Pag. 18. fa. prima, li. 4. aliquld, aliquid. li. 16. dele, præcipimus.

Pag. 19. fa. 2. li. 17. ammonet, admonet.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI BENEDICTI AMEN. INCIPIT PROLOGVS CONSTITVTIONVM TOTIVS ORDINIS FRATRVM HEREMITARVM SANCTI AVGVSTINI.

QVONIAM Ex præcepto regulæ patris nostri Augustini iubemur habere cor unum et animam unam in domino, iustum est, ut qui sub una regula, et sub unius professionis uoto uiuimus, uniformes in obseruantia sanctæ religionis inueniamur, quatenus unitatem, quæ interius obseruanda est in cordibus, foueat, et representet uniformitas exterius seruata in moribus, quod profecto eo competentius poterit obseruari, et facilius memoriter retineri, si ea quæ agenda sunt, scripto fuerint commendata, & in omnibus, qualiter sit uiuendum, scriptura teste, innotescat.

Mutare autem, uel addere, uel minuere, nulli quicquam propria uoluntate licebit; ne si minima negligimus, paulatim defluamus.

Ad hæc tamen, in conuentu suo Prior dispensandi cum fratribus habeat potestatem, cũ sibi aliquando uidebitur expedire, nisi in ijs casibus, in quibus dispensari expresse aliqua constitutio contradicit. Priores etiam utantur dispensationibus, pro loco, & tempore, sicut alij fratres.

Vt igitur paci, & unitati totius ordinis prouideamus, uolumus, et declaramus, ut constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam; nisi propter præceptum, uel contemptum.

Hunc ergo librum conscripsimus, in quo quisq; nostrum quid agere, uel qualiter ubiq; se habere debeat, continetur.

Quomodo Fratres intrent ad matutinum, et ad alias horas, et quomodo stent diuisi, atq; inde exeant. Cap. .I.

AVdito primo signo ad matutinum, festinent surgere omnes fratres, munientes se signo crucis, & honeste atq; composite ecclesiam adeuntes, antequam ingrediantur aqua benedicta se aspergant, & ingressi inclinent se ante maius altare profunde & reuerenter, ac postea uadant stare in locis suis ordinate, sic distincti atq; compositi, ut qui maior est, stet à dextera parte chori, proximus illi à sinistra, Tertius à dextera, quartus à sinistra; & sic deinceps in locis suis genuflexi in silentio manentes., donec signũ inchoandi officij factum fuerit à maiori: Et idẽ modus intrandi, & manendi ad omnes alias horas, in omnibus est seruandus.

Pulsato itaque ultimo signo, et ad signum maioris dicto sub silentio Pater noster, fratres dicant matutinũ de beata uirgine stando. Deinde expletis matutinis beatæ uirginis, uersi ad altare, & crucis signaculo se signãtes (quod tam in inchoatione horarũ uirginis, q; diei, uolumus obseruari) incipiant matutinũ de tempore, debito modo prosequentes, secundum modum romanæ curiæ, prout est in breuiario ordinatũ: sed in fine cuiuslibet horæ genibus flexis dicatur Salue regina, cum uersiculo Aue maria gratia plena. Resp. Dominus tecũ. Oratio, Concede misericor deus etc. iuxta quod totũ officium per anni circulum uolumus obseruari.

In matutinis autem, cantores moneant fratres surgere ad responsoria decantanda, quibus uolumus in his, & in alijs ad eorũ officium spectantibus, sine contradictione aliqua obediri.

Completo autem officio, exeant fratres bini, & bini, unus ab uno choro & alter ab altero procedentes, incipiendo à minoribus.

De officio fratrum illiteratorum, & de operibus manuum. Cap. .II.

FRatres laici, præmisso Pater noster, quod dicere debent sicut clerici ad omnes horas, uel flexis genibus, uel inclinati profunde, reuerenter incipiant matutinum de beata uirgine, hoc modo. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri, et filio, et spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nũc, et semper, et in secula seculorũ, amen. Alleluia, seu Laus tibi domine, rex æternæ gloriæ. Dicant autem pro matutinis beatæ uirginis .xxv. Pater noster: & in fine cuiuslibet, excepto ultimo, dicant Aue maria etc. In fine autem ultimi pater noster, cũ dixerint, sed libera nos à malo, subiũgant Per dominum nostrum Iesum Christũ filium tuum, qui tecum uiuit, et regnat in unitate spiritus sancti. Deus, per omnia secula seculorũ. Amen. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Benedicamus Domino. Resp. Deo gratias. Hoc quoq; modo tã de die quàm de beata uirgine debeant terminare. Deinde uersi ad altare signent se signo crucis, et incipiant matutinũ de die, eo modo, quo matutinũ de beata uirgine inceperunt. Omni autem tempore, dicant pro matutino .xxv. Pater noster, Et pro laudibus .x. et in fine cuiuslibet, excepto ultimo, dicant Gloria patri etc. profunde inclinãdo. Sicut erat etc. Alias horas omnes tã de die quã de beata uirgine, excepto cõpletorio, sic incipiant. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum etc. Gloria patri etc. Sicut erat etc. Cõpletorium autem sic incipiant. Conuerte nos deus etc. Deus in adiutorium meum intende etc. ut supra

Pro qualibet hora de die dicant .vij. pater noster, sed pro uesperis .x. Et in fine cuiuslibet dicant Gloria patri, excepto ultimo. Et pro qualibet hora de beata uirgine dicant .vij. pater noster, et in fine cuiuslibet dicant Aue maria.

Pro matutinis fidelium defunctorum in ferialibus diebus, dicant .xxv. pater noster, et pro uesperis vij. et in fine cuiuslibet dicant, Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. Sed cum orant pro singulari defuncto, dicant ei, uel eius, ubi eis, uel eorum, cum pro pluribus orant. Totum autem suum officium fratres layci ubiq; sub silentio dicant.

Nec alicui fratri layco, ullo modo concedatur habere coronam.

Statuimus quoq; ut tam fratres nostri, quibus Deus donum scientiæ dedit, quàm etiam ij, qui sciunt manibus operari, fratribus alijs, siue conuentibus seruire gratis de talento eis tradito, secundum priorum suorum mandatum, teneantur: ita q nulli liceat, absq; superioris sui licentia, uel sibi ipsi, uel alicui foris, aliquid operari. Et si ulli ex fratribus nostris alicui in ordine libros scribere, uel aliquid operari conceditur, unde pretium aliquod, uel emolumentum percipiat, illud debeat in suis, et aliorum necessitatibus, secundum sui prioris arbitrium, dispensari. Extra ordinem quidem nulli omnino liceat pro pretio aliquid operari, seu ab aliquo extraneo pretium recipere. De arte uero medicinæ, seu cyrurgiæ nullus frater nostri ordinis se penitus intromittat, nisi in ipsa scientia fuerit ita sufficienter edoctus, q prior prouincialis, et diffinitores prouincialis capituli, eidem concedant licentiam in scriptis, in facultate huiusmodi consulendi: ad incisionem tamen, seu ad exustionem, si morbus ægroti hoc requirere uideretur, huiusmodi licentia nullatenus se extendat.

In ædificatione autem ecclesiarum, domorum, ac claustrorum, et quoruncunq; ædificiorum magni sumptus, semper in principio primo magistri habentes experientiam artis requirantur, de quorũ consilio, ac maioris et sanioris partis fratrum conuentus, fundentur, et procedatur in opere, habita tamen prius in maioribus locis à priore Generali licentia, in minoribus uero à Prouinciali, eáq; in scriptis: contrafacientes uoce careant actiua et passiua, usque quo per Capitulum Generale dispensentur.

De Calendario, Ferijs, commemorationionibus sanctorum ordinis nostri, & oratione uespertina. Cap. .III.

VT in diuino cultu, & horis canonicis, precibus quoque & cantu, quantum fieri potest, uniformitas appareat exterior, Volumus ut in quolibet conuentu nostri ordinis Prior in tabula una, quæ in choro affixa maneat, describi faciat Calendarium, secundum ordinem Romanæ sedis, quem ordinem in quotidiano officio, in solemnitatibus domini nostri Iesu Christi, Beatæ Mariæ semper uirginis, & aliorũ sanctorum, tam quo ad diem solemnitatis ipsorũ, quàm quo ad octauas sequi omnes debeant, Cuius calendarij exemplum in ordinario repositum est.

In diebus uero in quibus nullius sancti nomen inuenitur, de sanctis præteritis agatur, quorum officium agi non potuit, quia uenere in die Dominico, uel in die alicuius solẽnitatis, aut octauæ: & incipiatur semper à remotioribus, quorũ memoria, ut retineri possit, notabuntur sancti, quorum officium suo die non potuit agi, cũ cera seu clauiculis à cantoribus, ut eorum officium diebus uacuis possit ordinate celebrari.

Sed in tempore Quadragesimæ, mandamus ut bis in qualibet hebdomada agatur de feria, & quotidie in maiori hebdomada, nisi festum duplex acciderit, eiusdem hebdomadæ secunda tertia uel

quarta feria, Similiter de feria quoque fiat in aduētu, quoties in breuiario laudes propriæ assignātur, ut in diebus quatuor temporum.

Si uero ijs diebus de festo duplici oporteat agere, missa de feria ante nonam omnino cantetur, præter missam conuentualem. In Quadragesima uero quando de festo agitur, præter missam de festo, de feria quoque missa cantetur.

Hunc ordinem nulli præterire liceat, nisi pro celebrando festo tituli proprij, & consecrationis ecclesiæ, & sanctorum, qui peculiariter tanquam spetiales patroni in ciuitate uel oppido coluntur. Prior uero, qui hunc ordinem obseruari non fecerit, à Prouinciali, uel Visitatoribus pro prima uice ad eorum puniatur arbitrium, pro secunda uero ab officio suspendatur, pro tertia autem officio, & uoce actiua & passiua per triennium priuetur: Et eadem pœna puniatur si alio cantu quam firmo (quē appellant) aliquid in ecclesia cantari permiserit, quique, si in conuentu duodecim fratres ad usum chori habuerit, & quotidie primam, missam conuentualem, & Vesperas cum antiphona Beate Mariæ Virginis in completorio cantari non fecerit: Diebus uero festis tertiam quoque, & Completorium, & ad matutinum Te deum laudamus, & ad laudes à capitulo usque in finem. Volumus .n. hæc inuiolabiliter obseruari, & addimus, ut in magnis solemnitatibus, ut in diebus communionum, in matutino ad minus duo nocturni cum inuitatorio, & omnes horæ diurnæ cantentur, præter sextam.

Et quolibet mense, in primo die, qui uacuus occurrerit, fiat ubiq; officium commemorationis Sancti Patris Augustini, sub ritu semiduplicis minoris, in quo de communi unius confessoris Pontificis dicantur omnia, præter lectiones & antiphonas ad Benedictus, & Magnificat, & orationem. Antiphona ad Benedictus sit. Canon uitæ canonicæ, lucerna nostris pedibus, roga Christum pro famulis, ut nostris adsit mentibus, & in æterna requie suis iungat agminibus. Oratio. Concede quæsumus omnipotens deus, sancti Patris nostri Augustini deuota commemoratione gaudere, cuius patrocinio saluari te auxiliante confidimus. Ad magnificat in utrisque uesperis. Antiphona. Sancte Augustine, tu dulcedo pauperum, tu pius consolator filiorum, ora pro nobis. Sub cantu qui in ordinario reperitur. Oratio. Concede quæsumus, ut supra.

Et quotidie, quando dici solent suffragia sanctorum, post orationem uel orationes diei, fiat in uesperis & laudibus commemoratio Beatæ uirginis & sanctorum Petri & Pauli, et sanctorum nostri ordinis, & eius uel eorum sub cuius uel quorum titulo consecrata est ecclesia, prout in ordinario est distinctum, Addendo nomen sancti sub cuius titulo est ecclesia, si fuerit angeli uel prophetæ post nomen beatæ Virginis, si apostoli, post nomina apostolorum, cæterorum uero, post nomen sancti Nicolai, tam in Antiphona, quam in oratione. Antiphona.

Alma dei genitrix uirgo Maria, Petre & Paule sacra lumina mundi, ò præsul sanctissime Augustine, cum matre Monica, & Nicolao, nostri nunc memores estote, & nobiscum unà precemini, ut optata semper christi pace fruamur. Ver. Fiat pax in uirtute tua. Resp. Et abūdantia in turribus tuis. Oratio.

A cunctis nos quæsumus domine, mētis & corporis defende periculis, & intercedente beata, & gloriosa, semperq; uirgine Dei genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro & Paulo, atq; beato Augustino, Monica, Nicolao, & omnibus sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem: ut destructis aduersitatibus & erroribus uniuersis, ecclesia tua secura tibi seruiat libertate. Per dominum nostrum Iesum Christum &c.

Peculiares uero commemorationes, uel Beatæ uirginis post missam conuentualem, uel aliæ quæcunque, et processiones per ecclesiam, uel per claustrum, uel ad aliqua altaria cum antiphonis, et ora-

ctionibus suis nullo modo, ubi sunt in consuetudine, dimittuntur. Similiter et processiones pro defunctis in secundis ferijs, in quibus (nisi festum impediat) missam pro defunctis cantari mandamus.

Quotidie uero antequam fratres ad quiescendum post cœnam, uel collationem accedant, hora, quæ priori competens uidebitur, secundum temporum uarietatem, pulsetur campanella pro signo silentij, et tunc fratres omnes, nemine excepto, etiam si hospes fuerit, modo non sit infirmus, in choro, seu capitulo cum silentio conueniant, et genuflexi deuotè in spiritu aliquandiu orent. Postea prior, uel qui maior in choro fuerit, illorum precibus commendet statum sanctæ Ecclesiæ, summum Pontificem, et omnes prælatos, Reuerendissimum Dominum Protectorem, Priorem Generalem cum omnibus fratribus, et benefactoribus ordinis, iniungendo pro particularibus, si opus fuerit, seu infirmis, seu alio modo afflictis, et indigentibus, particulares orationes, et siquid in communi uel annunciare, uel monere oportet, breuiter annuntiet, uel moneat, ac in fine dicat. Confiteor Deo. etc. Facta uero confessione in communi, et dicto à maiori, Misereatur. etc. Indulgentiam. etc. dicat. Oremus pro uiuis atq; defunctis. Retribuere. etc. cum psalmo Ad te leuaui, etc. Kyrieeleison etc. Pater noster etc. Ver. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Oremus.

Deus omnium fidelium Pastor, et rector, famulum tuum. N. quem pastorem ecclesiæ tuæ præesse uoluisti, propitius respice, da ei quæsumus uerbo, et exemplo, quibus præest, proficere, ut ad uitam una cum grege sibi credito perueniat sempiternam.

Prætende domine famulis, et famulabus tuis dexteram cœlestis auxilij, ut te toto corde perquirant, et quæ dignè postulant, consequi mereantur. Per christum Dominum nostrum. Resp. Amen. Psalmus. De profundis clamaui etc. cum Requiem æternam etc. Pater noster. Et ne nos inducas etc. Oratio. Fidelium deus omnium conditor, et redemptor: animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optauerunt: pijs supplicationibus consequãtur. Qui uiuis etc. Deinde genuflectant, et prior dicat, Pro fratribus nostris absẽtibus etc. Salue regina etc. Oratio. Beatæ et gloriosæ, sẽperq; uirginis Mariæ, quæsumus domine intercessio gloriosa nos protegat, et ad uitam perducat æternam. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen. Deinde aspergat omnes aqua benedicta, Et dicat, Noctem quietam, et finem perfectum concedat nobis dominus omnipotens, Et omnes dicto Amen, cũ silentio egrediantur, ad cellas suas euntes.

Quomodo, et quando fratres intrent capitulum, et de modo, qui in eo obseruatur. Cap. IIII.

POST matutinum omni tempore, exceptis diebus cœne domini, et parasceue, et sabbato sancto tantum, ubiq; in ordine nostro, fratres capitulum processionaliter intrent, cum psalmo De profundis, uel Miserere, cum Requiem in fine, siue dies ferialis fuerit, siue festus. Intrante uero conuentu capitulum, uadant singuli sedere in locis suis ordinate, inclinantes prius ad crucem: et si prior, uel uicem eius gerens, ultimo uenerit, omnes ei reuerenter assurgant.

Ipso igitur priore, et cæteris post eum sedentibus, lector surgat, et quæ sequenti die in Calendario, uel Martyrologio sunt, pronunciet, scilicet, quotus erit in mense dies sequens, et quod in eo festum, uel uigilia, uel utrunq;: et in fine subiungat, Et alibi aliorum plurimorum sanctorum martyrum, confessorum, atq; sanctarum uirginum. Tunc surgentibus omnibus, et ad crucem se uertentibus

tentibus, dicat hebdomodarius, Præciosa in conspectu domini, etc. Et ad primum Deus in adiutorium, fratres signent se signo crucis. Complem oratione, Dirigere et sanctificare etc. Sedeat prior, et conuentus post eum. Lector itaq; stans dicat, Iube domne etc. inclinans se ad benedictionem: et prior det illã, aut tenens locũ eius: alioquin antiquior ad ordinẽ, qui fuerit in capitulo, ut in breuiario reperitur; et lector legat capitulũ, quod pro tẽpore habetur. Et dicto, Tu autem domine etc. Subiungat, Cõmemoratio fratrum etc. Tunc Prior dicat, Requiescant in pace, conuentus respondebit. Amen. Tunc Prior, Adiutoriũ nostrum etc. Resp. Qui fecit cœlum et terrã. Deinde, Benedicite, ut in breuiario continetur.

Sexta feria post cõpletorium, semper fratres modo quo supra, capitulum intrent, ut de culpis agatur, hoc modo. Dicto Adiutoriũ nostrum, ut supra, Prior dicat, agamus de culpis, et tunc omnes prosternant se, et dicat prior, quid dicitis? Et quilibet eorũ respondeat, dicens, meam culpam, Tũc dicat eis prior, surgite. Qui surgẽtes humiliter et pure confiteantur culpas suas, incipientes à nouitijs. Qui postquam culpas suas dixerint, egrediantur de capitulo, Idẽq; faciant post nouitios hospites: quibus egressis, fratres cõuentuales culpas dicere incipiãt à senioribus, ita uidelicet, ut cõpleto choro supprioris, incipiant à capite alterius chori, et uno stante, et se ipsũ accusante, cæteri sedeant, et taceant, donec dixerit.

In capitulo uero nullus sine licentia loquatur, nisi duabus de causis, scilicet culpas suas dicendo, et Priori suo ad interrogata respondendo. Si autẽ sermo in capitulo fieri debebit, is qui facturus est genuflexus benedictionẽ suscipiat à Priore. Expletis uero omnibus, quæ eadem hora instant, surgat Prior, et cæteri post eum, et conuersis omnibus ad crucem, dicat Prior, Adiutoriũ nostrum. etc. Ad quod conuentus respondeat, Qui fecit cælũ et terram. Et hoc dicto inclinent se omnes ad crucem, et sic cum silentio processionaliter egrediantur. Quando autẽ de culpis non agitur, et silentium non soluitur, Adiutorium semel dictum sufficiat.

In illis autem locis ubi uiget studium theologiæ, exceptis illis diebus, quibus de culpis agendum est, prior, maxime tempore hyemali, dispensare, si sibi uidebitur, poterit, ut non omni die capitulum fratres studentes intrent.

Qualiter in accusationibis audiendis, et corrigendis, tam in capitulo, quam extra, procedendum sit. Cap. .V.

IN accusationibus autem culparum, hunc modum seruari uolumus, ut cum alius alium accusat, ambo stare debeant, et non loquantur mutuo, ne forte (quod absit) contentiones oriantur: sed uterque sermonem suum dirigat ad priorem, qui eis, pro culpis suis de quibus confessi fuerint, uel conuicti, secũdum statum ordinis, pœnam imponat. Et si ullius culpa talis fuerit, quod disciplina sit digna, prior det illam, uel alius de ipsius mandato.

Quod si quis forsitan superbia ductus, culpas suas confiteri, uel pro eis disciplinam ordinis subire noluerit, prior non statim sententiam ferat in illum, nisi forsitan talis sit casus, cuius correctio ullo modo absq; graui periculo differri non possit, ut puta, quando (si incorrectus recederet) ordini forte scãdalũ generaretur: et tunc Prior mittat ad eum unũ de senioribus, qui et blãdis sermonibus, et pijs exhortationibus ad satisfactionem illum inducant. Si autem ipse (quod deus auertat) expectatus per diem et noctem, et exhortatus, uidelicet semel, secundo, et tertio à duobus, uel tribus de senioribus, alternatim, uel simul, obstinati cordis extiterit, satisfacere nolẽs: ex tunc prior

secundum constitutiones ordinis nostri procedat in ipsum (non obstante etiam si ad superiorem apellauerit) cum à correctione nulli liceat appellare. Si uero culpa huius delicti in constitutionibus non fuerit taxata, habito seniorum de loco consilio; prior secundum suum discretum arbitrium (ut, per regulam patris nostri beati Augustini*, præpositis est indultum) procedat in illum.*

Ex *sola suspitione, nisi fuerit uiolenta, aliquis aliquem non accuset, et si contrafecerit, accusãs sustinere cogatur pœnam, quam accusatus, si fuisset de obiecta sibi culpa conuictus, portare debuisset. Eandem pœnam sustineat, qui in probatione alicuius accusationis defecerit.*

R*ursus, si quis alicui crimen obiecerit, quod ipse tanquam sciens eum commisisse, illud etiam iuramento se ingerat affirmare, ut potè, quia criminis ipsius particeps, uel conscius fuit, non admittatur contra eum, cui crimen obiecit, cum ipse turpitudinem suam allegare non possit; sed idẽ sicut reus culpæ, quam se commisisse ex ore suo conuictus est, publice puniatur. Quod si is, qui obiecit crimen, usque tunc uitæ laudabilis, et sanctæ conuersationis extiterit, et de eo cui obycitur crimen, quod illud, uel simile aliàs commiserit, apud graues personas nostri ordinis, inter quas cõuersatus est, sit opinio læsa: licet contra eum non procedatur ad pœnam, quæ culpæ debetur, eo quod non sit legitimus accusator, et sufficiens testimonium non apparet; nihilominus de prouincia, uel saltem de loco, ubi id ipsum dicitur commisisse, remoueatur, et in loco alio collocetur. Sed si non est auditus huiusmodi sermo de illo, ipse accusatus (cuiuscunque meriti sit accusans) ob id in aliquo grauari non debebit.*

In *correctionibus autem & iudicijs quibuscunque, non sicut in foro contentioso procedatur, sed simpliciter, et de plano, sola facti ueritate inspecta, secundum nostrarum constitutionum tenorem: Inhibentes, ne quis in huiusmodi recursum habeat ad iuristas, sub pœna cadendi ab omni iure suo.*

Quomodo se habeant fratres, quando ad horas, et ad capitulum, atq; ad collationem, et refectionem tardè contingit eos uenire.

Caput .VI.

Q VISQVIS *ad matutinum, uel ad alias horas tardè uenerit, intret ecclesiam more solito ante maius altare, & inclinet profundè, et reuerenter, et erectus stet immobilis, donec ut ad locum suum uadat, signum ei factum fuerit à* Priore*: qui audito signo, iterum ante altare inclinet, ut supra, et sic ad locũ suum accedat. Ad capitulum uero, seu ad collationem, uel ad refectionem tardè ueniens, simili modo coram priore inclinet, et erectus similiter stet, quousq; ad locum suum* Prior *eum ire innuerit: qui inclinans eodem modo, in loco suo stabit, saluo, quod si quis tardè ad refectionem, uel ad collationem ueniat, ut iam fratres sedeant in locis suis, ei nullus cedet, sed in ultimo loco sedebit.*

A*d horas illum dicimus tardè uenire, qui ad inchoationem horæ, in choro non fuerit.* I*circo strictè inhibemus, ut pulsato secundo signo ad horas, extra chorum cum aliquo (sine speciali licentia maioris) nullus audeat remanere: nisi forsitan cum uenerabilibus personis, quas honestè dimittere non possit, nec in choro existens, sine speciali licentia maioris, ab officio recedat. Ad refectionem tardè uenire dicitur, qui benedictioni mensæ; et ad collactionem, qui benedictioni potus non interfuerit: Et ad capitulum, cum præciosa dicitur, uel illud quod in capitulo agendum est, fuerit inchoatum.*

Qui uero ad horas, uel ad capitulum, uel ad refectionem tardè uenire in usum duxerit, diutius stare erectus (ut erubescat) cogendus est, et pœna alia (sicut censuerit prouida Prioris discretio) puniendus. Et si forsitan quisquam alte sapiens, licet tardè ueniat, in locis prædictis se habere (sicut ex ordine est ei mandatum) contempserit, si monitus semel, et secundo, non se correxerit, tanquam inobediens (ne morbo suo inficiat humiles) puniatur.

Quomodo missæ a fratribus quotidie audiantur. Et pro benefactoribus uiuis ac defunctis, ac fratribus decedentibus debeant celebrari.

Cap. .VII.

Missam conuentus omnes fratres simul audiant, nec foris quisquam permaneat, nisi sit infirmus, aut communi negocia occupatus, quod commode dimitti non possit, uel de Prioris licentia speciali. Et si aliqui communibus negocijs occupati, missæ conuentus interesse non possunt, etiam infirmi, quibus ex motu non surgit probabilis de recidiuatione timor, horas obseruent, in quibus priuatas missas audire teneantur.

Dum autem missa conuentus celebratur, fratres omnes qui in choro sunt, sic intendant ad illam, ut pro eo quod agatur in missis priuatis, de locis eorum non se moueant, nisi quando existentes in stallis suis, in missis priuatis ipsi beatam hostiam uiderint eleuari: tunc enim uolumus, ut nudis capitibus genuflectant, et facta adoratione surgant.

Statuimus etiam, ut quilibet sacerdos, pro fratribus et familiaribus, et pro benefactoribus defunctis ordinis nostri, omni anno post festum sancti Michaelis dicat unam missam. Frater uero clericus, semel officium pro defunctis, et frater laycus quinquaginta pater noster, cum Requiem æternã. Pro fratribus quoque familiaribus, propinquis, et benefactoribus uiuis similiter quilibet sacerdos dicat unam missam pro peccatis, clericus semel psalmos pœnitentiales, laycus quinquaginta pater noster, cum gloria patri, in fine cuiuslibet pater noster. Decedente uero summo pontifice, quilibet sacerdos de ordine, dicat tres missas pro eo, clericus unum psalterium, et frater laycus quingenta pater noster, infra uiginti dies, postquam ei de obitu suo constabit: et in quolibet conuentu nostri ordinis uigiliæ, et missa pro defunctis cum nota solemniter decantentur. Pro generali ordinis nostri eadem suffragia, et modo prædicta fiant. Pro obitu uero Sacristæ, et pœnitentiarij Domini Papæ ordinis nostri, quilibet sacerdos, infra dictum terminum, dicat unã missam, clericus et laycus dicant, ut supra, pro benefactoribus defunctis. Decedente uero de fratribus nostris aliquo, etiam si sit nouitius, uel conuersus, quilibet sacerdos eiusdem prouinciæ dicat unam missam, clericus et laycus, ut supra.

Quæ autem interdum ex infirmitate, uel cuiuslibet aliqua negligentia omittuntur, ut possint ex plurimorum suffragijs restaurari: uolumus ut in quolibet conuentu ordinis nostri, anniuersarium fratrum nostrorum defunctorum, annuatim, in prima die post octauam uisitationis Beatæ virginis debeat celebrari. Patrum uero, et matrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, in prima feria post festum sanctæ Agathæ, modo simili celebretur, et quilibet sacerdos debeat ipsa die de eodem anniuersaria celebrare. Et ne prædicti termini tradantur obliuioni, in martyrologio, et calendario conscribantur, et in capitulo, suo tempore, ad modum festiuitatum recitentur.

Quomodo fratres se habeant cum eis aliquod officium iniungitur: et pro quibus casibus supprior, Et Procurator, et Sacrista, absoluantur. Cap. VIII.

ORdinamus, ut cum Prior in capitulo, aut alibi, aliquam communem orationem (ut saepe pro benefactoribus et afflictis, aut consimilibus fieri solet) uel quippiam operis uerbo, uel signo, alicui ex fratribus specialiter iniunxerit, seu omnibus in communi, deuotè statim omnes inclinent, facturos se quod eis iniunctum fuerit, annuentes. Si uero in capitulo iniunxerit alicui, ut aliquo fungatur officio, puta ut sit supprior, cantor in choro, et magister nouitiorum, procurator exterior, sacrista, eleemosinarius, portarius, infirmarius, seruitor hospitum, superstes operum, et consimiles, flectant genua statim, audito mandato Prioris, se etiam facturos quod iniunctum fuerit, confitentes.

Omnia enim officia, et ministeria domus committere fratribus, et inter ipsos ea diuidere, propriũ est Prioris domus, excepto, quod suppriorem, uicarium, sacristam, procuratorem eligant fratres sui conuentus, quorum electionem acceptabit, sicut in constitutionibus est distinctum: quorum tamen autoritatem decernimus, et uolumus in sola prioris consistere uoluntate: ita etiam ut si ipsi, supprior, procurator, et sacrista, seu eorum aliquis (finem autoritatis, quam in eorum officiys prior commiserit eis) excesserint: et moniti semel, secundo, et tertio in capitulo ab eo coram conuentu, ulterius id facere praesumserint, possit eos, autoritate sua, ab eorum officiys remouere.

Si autem aliquod ex huiusmodi officiys, seu quodcunq; aliud mandatum, dum illud non sit iussioni diuinae contrarium, alicui subditorum suorum prior iniũxerit, id iussus sine disceptatione suscipiat, etiam si graue multum, et suis uiribus importabile uideatur: sed postea imbecillitatẽ, et praecepti difficultatem priori suo, cum omni humilitate insinuet, et si quod optat obtinere meruerit ab eodem, agat gratias deo, et humilior fiat: sin autem, sciat sic animae suae expedire, et quantum in eo est, faciat, sicut uelle nouerit imperantem: Non enim uolumus priorum nostrorum mandata causari, nec eorum praeceptis (etiam si ualde, aut prorsus difficilia ipsi imperent) aliquem cõtraire. Si uero (postquam in prioris sui obedientys, secundum sibi datam a Deo gratiam, se coeperit humiliter exercere) probabiliter uiderit, ut quod iniunctum est sibi implere, et in eo utiliter laborare, absque interioris hominis periculo, et nimia difficultate non possit, si frustratorias non uideatur causas, uel excusationes praetendere, prior eius (si spectat ad eum fratrem huiusmodi absoluere, uel ei de socio prouidere) id faciat, diligenti consideratione praemissa. Ad quod, si quacunque ex causa, Prior ipse difficilis uideretur, conuentus (qui in sua prece frustrari non debet apud eum) ut id faciat procurabit.

Quando, et à quibus secretae confessiones audiantur fratrum ordinis, et de casibus reseruatis. Cap. .IX.

SEcretae confessiones à prima usq; ad completorium fieri possunt: sed à Completorio usq; ad primam sequentis diei apud nos nulla priuata confessio, nisi in casu infirmitatis fiat, excepto quod illi qui ante primam, uel post illam immediate celebrare, aut communicare, seu aliquo exire debebunt, possint, fratribus post matutinũ

egressis

egressis de capitulo, confiteri, sed in loco capituli tantum, uel coram maiori altari, si tamen sit ibi candela, uel lampas ardens, et lucens, et non aliter, nec alibi.

Statuimus etiã, ut nullus frater nostri ordinis confessiones audire præsumat, nisi professus triginta annorum ætatem habuerit, ac promotus fuerit, uel a Priore Generali, uel prouinciali una cum diffinitoribus prouinciæ, quæ promotio non fiat, nisi præuio diligenti examine uitæ, et doctrinæ. Quòd si quis aliquem uitæ non laudabilis, uel doctrinæ non sufficientis, et triginta ætatis annos non habentem promouerit, promotio nulla sit, et premouens omni officio, et gradu, quo in ordine potitur, sit priuatus, usq; ad dispensationem Generalis capituli.

Si quis outem non promotus ad audiendas confessiones temere se ingesserit, pœnam carceris per tres menses subeat, ieiunetq; singulis sextis ferys, in pane et aqua, et confessiones ulterius non audiat, usq; quo secum per Capitulum Generale dispensetur.

Confessores autem sic promoti omnes mutuo se audire, et absoluere possint, absq; alia licentia.

Ad audiendas uero confessiones clericorum, conuersorum, nouitiorum, ex promotis ad confessiones audiendas, ætate, dotrina, et uita grauiores, quisq; prior in conuentu suo deligat: Præter quos, siquis eos audire præsumpserit, per triennium confessiones non audiat, et clericus, seu conuersus atque nouitius secundum Prioris discretionem puniatur.

Casus autem, à quibus nullus confessor fratrem aliquem nostri ordinis absoluere potest, sine speciali Prioris licentia, hi sunt: Blasphemia quæcunq;, furtum de re etiam modica, siue communis sit, siue alicuius usui deputata, uoluntarius omnis lapsus carnis, coniurotio omnis, et conspiratio, simonia tam in dante quam in recipiente, reuelatio secreti capituli, percussio ex animo facta, incendium, rem celare collatam, et si quem contigerit sine licentia, aut alieno quàm nostri ordinis habitu extra loci septam exire: scribere, aut legere, aut tenere, per se, uel per interpositam personam, libros hæreticorum, uel qui docet artem necromantiæ, out experimentorum, aut alchimiæ exercere. Apostosiam olicui suadere: alicui personæ liberæ, et utili, uolenti ad nostrum ordinem uenire, ullo modo dissuadere, uel nostro ordini uolenti benefacere prohibere: si aliquo casu, uel negocio, contra libertatem, uel honorem, siue utilitatem ordinis, seu alicuius conuentus, seu loci, uel fratris eius, obedientium ipsi ordini, consilium, uel auxilium ullo modo præbere, et quæcunque alia uel prior Generalis, uel prouincialis, uel localis, iuxta temporis exigentiam, sibi reseruanda duxerit. A quibus; siquis alium absoluerit, præterquàm, quòd absolutio nulla est, absoluens nihilominus, ac si ipse crimen illud commisisset, puniatur.

Quisquis uero in oliquo prædictorum casuum peccauerit, propter quod aliquis, siue in persona, siue in rebus, siue in fama, quocunq; modo lædatur, quamuis sit eius peccatũ occultum; nullus præsumat eum absoluere, nisi prius læso fuerit debite satisfactum.

Præterea uolumus firmiter obseruari, ut semel ad minus teneatur frater quilibet, et Prior prouincialis, aut magister Theologiæ, in septimana debitè confiteri, in loco publico, [hoc est, uel in capitulo, uel in choro, uel in sacristia. Si autem ex contemptu neglexerit, per priorem suum publicè puniatur.

Sed in articulo mortis, aut ineuitabilis alicuius necessitatis, quilibet sacerdos, etiam ad confessiones audiendas non promotus, fratrem quemlibet, tam nouitium quàm professum audire, et absoluere possit.

At si in casum aliquem reseruatum inciderit prior localis, absolui non possit, nisi à Prouinciali, similiter prouincialis, nisi à priore generali.

De forma collocutionis fratrum cum mulieribus, et confessionibus earundem audiendis. Cap. .X.

QVoties uero in ecclesia, aut extra locum, frater aliquis cũ mulieribus loqui debet, non loquatur, nisi prius licentiam obtinuerit à priore, et prior ei de socio idoneo prouideat, sine cuius conspectu, et auditu, loqui cum muliere, is qui requisitus fuerit, non debet: nisi mater, uel soror carnalis fuerit, cum quibus frater loqui poterit, socio non audiente, sed uidente.

Fratres uero foras missi pro necessitatibus domus petendis, loqui poterunt pro ipsis necessitatibus petendis, etiam alter sine altero, cum petendo eleemosinas per uicos separatim uadunt; quia tunc necessitas sic loqui exigit: intrare tamen domum, seu sedere, et confabulari non licebit. Procurator, et fratres alij, cum ad procurandum necessaria fratrum uadunt, poterit frater præsente socio suo semper, et uidente, de huiusmodi cum muliere solus loqui; ita tamen quòd cum una eademq; muliere, frequens non sit talis collocutio.

Nusquam autem frater aliquis solus, absque tertia persona præsente, cum muliere sola moram faciat, uel loquatur, nec remaneat solus in ecclesia: sed si de consilio, aut confessione, aliqua mulier sacerdotem consulere uoluerit, ad locum in quo confessiones audiri consueuerunt, accedant. Alicui autem fratri soli manere cum duabus mulieribus, aut loqui in ecclesia, etiam simul, nisi ambæ, aut saltem earum altera, eidem uel affinitate in secundo gradu, uel consanguinitate in tertio, coniunctæ sint, non licebit. Quod autem ijdem fratres, etiam sacerdotes, cum duabus eisdem mulieribus sæpius in ecclesia, alter cum altera, separatim maneant, uel loquantur, aut ad proprias domos uisitent eas, concedi non debet, nisi ipsis illæ in consanguinitate in prædictis gradibus coniungantur.

Cum autem ad audiendum confessiones qualiumcunque mulierum frater sacerdos egreditur, semper ei prouideatur de fratre socio, quem opinio bona commendet, et ubiq; et semper sic se habeat, ut socius suus patenter uideat eum. Quod si contrafecerit sacerdos, ipse suspensus sit a confessione per annum, et in terra, panem solum, et aquam tribus diebus manducando, ieiunet coram fratribus de conuentu. Si autem frater clericus, uel laicus, in tali locutione priuata fuerit repertus, uoce careat, donec cum eo fuerit dispensatum, et tres dies, modo simili ieiunet. Et si de prædictorum priuata locutione scandalum oriretur, acrius puniantur, secundum quod requirit scandali magnitudo.

Quoties, et quando fratres communicare debent, et qua pœna puniatur, qui noluerit communicare. Cap. .XI.

FRatres nostri tam nouitij, quam professi, et conuersi sexdecim uicibus in ãno cõmunicare debeant, nisi de licentia seu mandato prioris, propter aliquam causam, remanere contingat. Videlicet in prima Dominica de aduentu, in die natiuitatis domini, in die epiphaniæ, in die purificationis beatæ Mariæ uirginis, in prima Dominica quadragesimæ, in annunciatione beatæ Mariæ semper uirginis: in cœna Domini, in die resurrectionis domini, in ascensione domini, in die sancto Pentecostes, in natiuitate Ioannis baptistæ, in assumptione beatæ Mariæ semper uirginis, in festo beati patri Augustini, in die natiuitatis beatæ uirginis, in festo sancti Michaelis, in solemnitate omnium sanctorum.

Si quis autem ex fratribus nostris, in die natiuitatis domini, cænæ, resurrectionis, aut in die sancto pentecostes à communione, abstinere petierit, sine manifesta et rationabili causa, ei non concedatur; quam causam (si ea reetanda secreta non fuerit:) coram priore et conuentu, uel saltem cum duobus senioribus de conuentu cum priore, confiteri pœnitus teneatur. Quod si facere renuerit, quotidie sedeat in terra coram conuentu secunda, quarta, ac sexta feria ad minus, in pane & aqua solum, septimanis singulis ieiunando. Teneat etiam continuum silentium morando in cella, donec de prædicta culpa satisfecerit, sicat decet. Et talis, cuiuscunque conditionis existat, usque ad plenam satisfactionem, ab omni nostræ religionis officio, et ministerio suspendatur.

Quomodo silentium in oratio, dormitorio, et certis locis, et horis à fratribus teneatur. Cap. .XII.

IN choro, dormitorio, in claustro primo, in refectorio quoq; atq; in chameris, summum silentium ubique in ordine nostro seruetur. In capitulo tamen primi claustri lectiones, et disputationes fieri non prohibemus. In ecclesia uero, seu oratorio, et cellis, possumus secularium confessiones audire, sed nil manibus operari licebit omnino, nisi quod ad decorem spectet illius. In dormitorio quoq; lectioni, et orationi uacare poterunt fratres, scribere etiam, et quippiam aliud operari, si id absq; ullo sonitu, et inquietudine alicuius, fieri possit: in quo per totam noctem lampas ardeat, et luceat clare. Quod si prior neglexerit facere, arguatur, et puniatur, secundum quòd discretioni sui maioris uidebitur expedire.

In claustro uero secundo officium præuidere, et cantare, et manibus operari licebit, in alys etiam locis honestis, et omni suspitione carentibus, fratres ad lectionem, orationem, ac psalmodiam esse poterunt. Extra uero ambitum domorum orare, nocturno tempore aut diurno, cum cõuentus dormit aut reficitur, uel diuinis inseruit, suspitione dicimus non carere. Vbi uero claustrum non est perfectum, secundum prouidentiam prioris, in parte eius loqui liceat, et in parte alia silentium teneatur. In loco tamen ubi est unum solum claustrum, et locus ipse (quia nimis est arctus) aut secundum claustrum, uel domum aliam, ubi fratres interdum, ut mos est ordinis, loquãtur, conuenienter habere non potest, prior cum conuentu, ubi in una parte claustri loqui ualeat, dispensare poterit.

Prior in refectorio ad mensam, et in choro, de iis quæ expedierint, silenter loqui ualeat: et magister nouitiorum, cũ eis tantũ in eisdẽ locis simili modo poterit loqui: nec nõ et cantor in choro in distributione officij, qui sic deprimat uocẽ in loquendo, tanquã loqueretur in aure. In locis autem ipsis, et horis silentio deputatis, fratres qui signa nesciunt, silenter cum necesse fuerit, et breuiter poterunt loqui, tantum de illis, quæ sola necessitas suadebit.

A signo silentij, quod sero pulsatur, usque in sequentem diem post primam, silentium ubique infra septam locorum nostri ordinis teneatur: ita tamen quòd liceat prioribus cum laborantibus, et cum ijs qui fratribus, et personis alys superuenientibus deseruiunt, horis prædictis in silentio dispensare.

A festo inuentionis sanctæ Crucis, usque ad exaltationem eiusdem, diebus quibus non ieiunamus, pulsato signo post prandium usque ad nonam, et diebus quibus ieiunamus, sumpta refectione, donec surgendi signum a sacrista tactum fuerit, fratres in cellis suis maneant, ibique aut dormiant, aut legant, aut orent, seu utile aliquid operentur, tamen sine inquietudine dormientium, uel alicuius eorum, et summum silentium studeant tota deuotione seruare. Quod si quis

tunc forsitan extra cellam suam aliquid uoluerit operari, et quod sine ullo sonitu, et alicuius inquietudine fieri possit: non illud præsumat facere, nisi prius licentiam obtinuerit a Priore. Et cum fratres hora debita dormiunt in die, uel dormire debent, nisi prior causa necessaria subsistente, cum aliquo, uel aliquibus, aut etiam cum toto conuentu, in silentio dispensandum prouiderit, silentij uincula non soluantur. Atque si eiusmodi causa exigente, cum aliquibus dispensare cotingerit, ipsi in loquendo sic deprimant uocem, ut ab somno, clamore suo, non excitent dormientes.

In omni quoque loco fratres ad mensam silentium teneant, excepto uno solo, qui maior, uel magis notus erit. Si autem in mensa episcopi fuerint, eis de mandato Episcopi loqui licebit. Cum uero prouincialis prior in propria prouincia, uel alia, ad mensam hospitũ fuerit, loqui possit, ita tamen, quod si plures fuerint Prouinciales, in loquendo antiquior præferatur.

Prior Generalis ordinis nostri ad silentium non cogatur, et si ei uidebitur, cum alijs in silentio dispensandi liberam habeat facultatem. Benedicere uero, seu licentiam loquendi dare in mensa hospitum, uel in alia in qua fratres manducare aliquando contingit, nulli alij quam priori licebit.

In quibus casibus mulieres claustrum, et chorum ingredi permittantur. Cap. .XIII.

CVM diuinum officium agitur, à choro, ubicunque sit positus, non excludantur uiri: Mulieribus autem exterior tantum ecclesia sit aperta: Quæ etiam non semper in die aperta sit, nisi in magnis solemnitatibus, ubi mos est, sed maneat clausa; maximè dum conuentus est in refectorio, aut dormitorio: quia tunc cum mulieribus in ecclesia, uel ad portam, seu ad hostium loqui (etiam in foro pœnitentiali) nulli fratri licebit, sine speciali licentia prioris, quam, nisi ex magna necessitate, non concedat. Et dum canonicæ horæ dicuntur, illud idẽ uolumus obseruari; exceptis portario, et sacrista, qui horis prædictis, pulsantibus ad portam, uel ad hostia ecclesiæ, respondebunt, sed non satisfacient eis, si cui fratri loqui petierint, nisi necessitas suadeat prorsus magna, donec fratres post refectionẽ gratias egerint, uel à sõno surrexerint, et horam in cõmuni compleuerint, quæ instabit. Et ideo caueant portarius, et sacrista, ne fratres hora debita dormientes, et existentes in choro ad diuina, uel in scholis, uel in refectorio, aut capitulo, solicitent ad exeundum, nisi necessitas fuerit magna.

Chorũ autem nostrum, si in loco superiore sit, uel post maius altare, nunquã mulieres ingredi permittantur: si uero ante maius altare sit, ingredi mulieres poterunt, in proprio festo loci, et cũ officium in funere agitur alicuius solemnis personæ, et etiã pro prædicatione audienda, ac in triduo maioris hebdomadæ, et in processionibus, et in prima missa noui sacerdotis, uel ad indulgentias percipiendas, uel si causa alicuius fraternitatis, seu societatis, uel scholæ, statutis diebus in anno missa pro deuotione aduenientium celebretur.

Claustrum uero ingredi, et sacristiã, non concedatur mulieribus, nisi in proprio festo loci, atque in processionibus, alio uero quocũq; tẽpore nunquã mulieribus permittatur, neq; claustrũ, neque aliã quãcunque monasterij partem ingredi, nisi de licentia prioris generalis, uel prouincialis, illius dũtaxat, qui ut hanc licentiã concedere possit, specialẽ facultatem à Priore Generali habuerit. Qui cõtrafecerit omni gradu et officio, uoce quoque actiua, et passiua priuatus sit, quousque cum eo per duo capitula generalia dispensetur.

Viris uero ad nostra interiora habitacula introitus indifferenter dari non permittatur, nisi quibus prioris discretio prouiderit concedendum.

Quanta, et qualis cura habeatur circa infirmos.
Cap. XIIII.

Circa fratres infirmos, tam nouitios, quam professos, seu conuersos nostros, caueat, ne sit negligens, prior: quia cura de eis ante omnia, et super omnia est habenda, cum soli Deo seruiatur in illis. Si quis tamen talem habet infirmitatem, quæ nec eum multum debilitet, nec sibi turbet apetitum edendi, ut est inflatura, uel incisio cutis, in quacunque parte corporis, uel aliquid aliud eiusmodi ex laui causa prouenient., talis nec consueta ieiunia frangat, nec cibos refectorij mutet. Qui uero grauiter infirmantur, ut pote febribus tertianis, uel quartanis, duplicibus, uel simplicibus, continuis, uel cotidianis, seu alio graui languore temporaneo, uel perpetuo laborantes, talium curã uni ex fratribus, cuius cor possideat timor Dei, prior iniungat: qui eis cum omni charitate, die noctuq; necessaria ministret, atque si propter multitudinem infirmãtium, aut diuersitatem infirmitatum solus unus non sufficit, coadiutor detur eidem.

Prior qualibet infirmitorium, seu domum unam, cum omnibus necessarijs suppellectilibus pro infirmis deputet, et sæpe uisitet infirmos, de confessiona illos moneat, hortetur ad patientiam, solicitè etiam intendat, ne aliquid desit infirmario, quod necessitati expediat infirmorum, circa quod, qui negligens reuera fuerit inuentus, per prouincialem, uel uisitatores autoritatem habentes, officio priuetur, et uoce tam actiua quam passiua careat, usque quò per duo capitula generalia dispensetur: in quo rigorosè exequendo tam prouincialis, quam uisitatorum eiusmodi conscientiæ præsenti constitutione onerantur.

Infirmi quam diu adeo grauati sunt, ut in lectis comedere necesse habeant, ad silentium non teneantur; sed cum in conualescentia fuerint; ita, ut exire, et adire ecclesiam, et consimilia facere, sine alterius subsidio possint, dum comedunt, sicut qui sani sunt, ad silentium teneantur, excepto, quòd dormiente conuentu, ad mensam eorum loqui poterit unus ex illis. Et ideo prior infirmos tales, si maxime post completorium, aut dormiente conuentu, inquieti fuerint, ad capitulum uenire faciat, ubi eos increpet, et pœnam eis imponat, pro qualitate et quantitate culparum: quam, postquam conualuerint, sustinere cogantur.

Licet autem infirmis, omne uelimus obsequium (inquantum eorum necessitas exigit; et facultas nostra) impartiri: debent tamen ipsi intendere parcitati, et cauere, ne sibi seruientes propter deum, sua superfluitate contristent: nec cibos illos exquirant, aut si exquisierint, absque consilio medicinæ non dentur eis, qui recidiuationem consueuerunt magis inducere, quam salutem.

Post consecutam de infirmitate conualescentiam, redeant ad conuentum. Quòd si quis, tanquam uoluptati seruiens, in infirmitorio diutius non erubuerit permanere, illum prior moneat, atq; cogat, ut ad consuetudinem pristinam reuertatur.

Conualuisse ille credendus est, qui consueto colori suo, aut pristinæ corpulentiæ restitutus est: qui paratus est discursibus, qui labores placitos non abhorret, et qui cibos sumit in solita quantitate. Et ideo quisquis post eiusmodi conualescientiæ signa, redire pigritabitur ad conuentum, ut redeat compellatur; et subtrahantur ei cibaria infirmorum.

Infirmarij uero, quam diu sunt infirmorum ministerio occupati, sub silentij lege non erunt: debeant tamen suos moderari sermones, quia infirmis consueuit multiloquium non prodesse. Ipsi etiam quæ in infirmitorio necessaria sunt, et quæ aguntur in illo, et quomodo se habeant, qui plus minus ue grauentur, sæpe debent intimare Priori, ut ipse tam in moribus corrigendis, quam in pro-

curandis necessarijs eorum, qui in infirmitorio fuerint, possit semper uigilantior inueniri.

Si quis uero frater nostri ordinis nouitius, aut professus, uel etiam conuersus, extra conuentum propriũ, in loco aliquo nostri ordinis fuerit infirmatus: et Prior, et fratres loci ipsius teneantur ei in omnibus necessarijs subuenire. Conuentus autem suus prædicto loco de expensis, quas pro tali infirmo fecerit, teneatur plenariè respondere.

Quoniam uero pudore, et honestate regularis obseruantiæ prætermissis, quidam lubrici, et effrenati, naturæ impetum insequentes, colore licitæ opportunitatis quæsito, ad balneas, et stuphas ire quærunt, ut suæ ibidem obediant leuitati, et pluries nostri patres, et maiores, facti euidentia didicerunt, ex hoc plura animarum pericula prouenire: cupientes huiusmodi uiæ uitijs obuiare, omnibus pariter, et singulis fratribus nostræ religionis, strictè, et in uirtute sancti spiritus præcipimus, et mandamus, ut nullus ad balnea uel stuphas, quæ sint extra locum ordinis, aliqua occasione ire, uel intrare præsumat, sine magna, et euidenti necessitate. Et hoc fiat semper de expressa prioris prouincialis licentia speciali, in scriptis habita; quod si quis contrafecerit, pro qualibet uice pænæ grauioris culpæ subiacere, duobus mensibus constringatur, et uoce careat, donec talis pœnitentia per eum fuerit, sine diminutione, ad impleta. Qui autem balneo ex aliqua infirmitate indiguerit, prior suus in loco balneum fieri faciat, et eo utatur, quoties opus fuerit, de consilio medicinæ. Qui uero alicui fratri licentiam eundi ad balneum, uel stuphas dederit, eidem pænæ subiacere per omnia compellatur.

De cura habenda circa fratres infirmos decedentes, et qualiter res eis concessæ distribuantur. Cap. .XV.

CVM aliquis frater infirmatur, uolumus, ut statim omnino purè et debitè confiteatur, et tradatur sibi sanctissimum corpus Christi; et si adeò postmodum grauaretur, ut uel aliquibus indicijs, uel medicorum iudicio, de eius non uideatur deberi, aut posse sperari sanitate: quandiu sani, et integri sensus est, secundum morem sanctæ ecclesiæ catholicæ, et nostri ordinis, ungatur, et circa eum omnis custodia, et diligentia adhibeatur. Ipsum quoque prior, et fratres dulciter, uerbo et obsequio adiuuent, et confortent: atque ab omnibus, orationis quotidianæ suffragio, subleuetur. Et sit memor unusquique suæ conditionis, quoniam mors porta est, per quam transit omnis caro. Nec relinquatur sine custode die, noctuq;, donec anima eius egressa est de corpore. In hora egressionis animæ eius à corpore, ad signum infirmarij, uel sacristæ, sine mora omnes fratres conueniant circa eum, et officium super eum debito modo persoluant. Mortuus uero spolietur ab aliquibus, et lauetur ab illis, quibus prior iniunxerit, reuerenter: deinde cuculla indutus, et caligis calceatus, et corigia cinctus, ponatur in feretro. Et tunc peractis quæ debentur ex ordine, sepeliatur honestè.

Sepulto eo, et cæteris alijs expeditis, conueniant in capitulo fratres: quibus prior iniungat, ut singuli quam citius soluant, secundum ordinis statuta, debita pro defuncto.

Si qua bona, fratris defuncti causa, ad ordinem iure hæreditario pertinent, ea, et uiuente illo, et post mortem, ad locum pertineant, qui eum nostro ordini genuit: Qui locus teneatur, si in alio loco mortuus fuerit, satisfacere ei de expensis tam infirmitatis, quam sepulturæ, si bona alia, quæ defunctus secum habebat, puta uestes, libri, et reliqua ad usum sibi concessa non sufficiant, reliqua bona, quibus utebatur, deductis talibus expensis infirmitatis et sepulturæ, quæ loco in quo ægrotauit, et mortuus est, soluendæ sunt, pro medietate diuidantur, atq; pars una conuentui, cuius filius pro

fessus est, applicetur, altera conuentui, in qua erat conuentualis tempore mortis.

De *bonis autem prioris* Generalis, *si hereditaria sint, idem sit omnino iudicium.* De *alijs, pecuniæ ordinis, deductis expensis infirmitatis et sepulturæ, ad manus sucessoris perueniant; alia uero bona omnia ex æquo diuidantur, quorum una pars ad* Conuentum Romanum *pertineat, altera ad cõuentum, cuius filius professus est.*

Bona *autem procuratoris* Romanæ *curiæ, omnia, præter hæreditaria, de quibus, ut supra, decernitur, ad conuentum romanum deuoluantur.*

De *rebus apostatarum, qui ante mensem ad ordinem non redierint, et illorum fratrum qui pro suis culpis perpetuo carcerantur, uel de ordine expelluntur, siue licentiantur, simile iudicium, ut superius de mortuis tactum est, uolumus obseruari.*

De *modo receptionis nouitiorum.*
Cap. .XVI.

SI *quis in ordine nostro recipi petierit, non statim annuatur ei, quicunque sit ille: sed probetur spiritus eius, si ex deo est. Quod si perseuerauerit in proposito, et fuerit persona idonea, post oblatam ei spem a priore, et à maiore parte capituli suæ receptionis, hora (quam prioris, et aliorum fratrum seniorum discretio prouidebit) fratribus congregatis in unum, ab uno fratre, uel à duobus, qui cum de modo misericordiæ petendæ diligenter instruxerint, ducatur in capitulum, et in medio stans prosternat se, et interrogatus à priore, quid petis, respondeat, misericordiam* Dei, *et uestram.*

Deinde *iubeat eum prior surgere, ab ipso diligenter inquirens, an sit coniugatus, uel seruus, aut ratiocinijs obligatus, siue si habeat infirmitatem occultam.* Qui *si responderit alicui casuum se teneri, repellatur à priore sub pœna priuationis officij sui, tanquam subiectus iuri alieno, uel adferendum pondus religionis ineptus. Sed si ab omnibus his liber erit, prior exponat ei asperitatem ordinis, abdicationem scilicet propriæ uoluntatis, uilitatem ciborum, asperitatem uestium, uigilias nocturnas, labores diurnos, macerationem carnis, opprobrium paupertatis, ruborem mēdicitatis, lassitudinem ieiunij, tedium claustri, et his similia: et de omnibus his uoluntatem eius exquirat. Si responderit se uelle, cum dei adiutorio, cuncta seruare, inquantum humana fragilitas seruare potest, dicat post cætera ipse prior,* Dominus *qui incæpit in te opus bonum, ipse perficiat.* Et *conuentus respondeat.* Amen.

T*unc, eo induto, cantor incipiat hymnum* Veni *creator spiritus, quem fratres alij prosequantur, et ordinatè intrent ecclesiā, atq; receptus à cantore, et ductus ante maius altare prosternat se, donec hymnus finiatur in choro, et oratio* Deus *qui corda fidelium etc.* Qui *postea surgens, et instructus ab eodem cantore, recipiat pacem primò à priore, postea ab alijs fratribus utriusq; lateris subsequenter.*

Et *sic, mutato sibi nomine, tradatur magistro nouitiorum, de regula et constitutionibus, de officio et cantu, de moribus et signis, et alijs obseruantijs ordinis instruendus.* Et *legat sibi ipse magister suus, aut ipsemet regulam, et constitutiones seorsum ab alijs, pluries in anno: ut discat nouitius, si se ordini uoto professionis astrinxerit, sub qua lege militare debebit.*

Bona, *si qua detulerit secum, de illis secundum prioris conuentualis prouidentiam, et capituli sui, pro lectisternijs et uestibus eius necessaria deducentur, et pro libris, si clericus fuerit, consideratione habita in emendis libris pluribus, aut paucioribus, secundum ualorem ipsorum bonorum, et*

dispositionem nouitij ad studendum. Quicquid uero residui fuerit, computetur, atq; scribatur, ita quòd habeatur inde plena memoria, ut si forte (quod auertat deus) ante professionem respe-xerit retro, sua sibi reddantur, nisi ante religionis ingressum, ea sponte donauerit domui, uel deo obtulerit, eo modo, quòd amplius sibi in iudicio ea repetere non licebit; et domus ad restitutionem eorum in foro pœnitentiali non fuerit cogenda. Si tamen ex hoc uideretur grande in populo scan-dalum generari, fratres sic se habeant, ut pro substantia rerum temporalium, fidelium ad eos remissior deuotio non reddatur.

De tempore, et qualitate eorum, qui ad ordinem recipiuntur. Cap. XVII.

NVllus ad ordinē nostrū recipiatur iunior quatuordecim ānis, nec aliqua promissione ligetur. Prior uero qui contrafecerit, si fuerit prouincialis, infra duos menses, ab eius receptione uiginti dies in pane et aqua ieiunet. Si autem conuentualis fuerit, ipso facto sit à prioratus officio absolutus, et infra mensem, uiginti dies in pane et aqua, in terra sedens ieiunet. Conuentus quidem qui sine licentia prioris hoc fecerit, quilibet fra-ter infra duos menses, uiginti dies in pane et aqua ieiunet. Si uero singularis frater solus aliquē recipere ad ordinem de facto præsumpserit, tribus mensibus pœnæ grauioris culpæ subiaceat, et uoce careat, donec cum eo per Generalem dispensatum fuerit.

Pro clerico autem nullus nouitius recipiatur ad ordinem, nisi legere, uel cantare sciuerit competen-ter, uel sit docibilis, aut aptus ad addiscendum. Pro clerico namq;, et layco ad ordinem nullus re-cipiatur, nisi sit persona idonea, et qui non sit de aliquo notabili uitio infamatus. Facientes uero contra hanc formam, eorum superior, infra tres menses, postq̄ de hoc sibi constabit, uigintiquinq; dies in pane et aqua ieiunare compellat, et talis nouitius notatus aliquo uitio notabili licentietur.

Nouitius uero, si clericus fuerit, infra tempus suæ probationis in psalmodia et cantu, et alio diuino officio, studeat discere diligenter; atq; in hoc tempore, nulli ei ordines conferantur, sed nec mitta-tur extra locum, præsertim si tenellus fuerit, et imberbis, absque necessitate rationabili. Nam si grandeuus fuerit, mitti poterit, cum discretioni prioris uidebitur expedire. Cuius etiam uestes, in eo solum different à uestibus professorum, quod ante horam suæ professionis cuculla non benedi-cetur ipsius.

Nouitius à die ingressionis ad nos, usque ad annum, et diem in probatione manebit; ut ipse experia-tur asperitatem uitæ, seu ordinis: et fratres mores experiantur illius.

Cum lepra symoniacæ prauitatis infectus, sit quasi membrū putridum à corpore sanctæ matris ec-clesiæ alienum, omnibus, et singulis prioribus, ac fratribus nostræ religionis strictè precipi-mus, et mandamus, ut nullus ex eis fratrem aliquem ad ordinem recipiat, seu recipi faciat, uel recipi permittat, re aliqua accepta, uel retenta, pactione aliqua interueniente, tacita, uel expressa. Quod si quis ita immemor suæ salutis fuerit, quòd cōtra hoc præsens nostrum præceptum aliquē recipere, seu recipi facere attentarit, si prior alicuius prouinciæ, uel loci est, eo ipso sit ab ipso officio absolutus, et tanquam irregularis effectus: à qua irregularitate, non nisi à sede apostolica dispensationem poterit obtinere. In nostro uero ordine ad aliquod officium curam animarum ha-bens nullatenus assumatur (etiam, si à sede apostolica dispensationem meruerit impetrare) nisi secum per duo capitula Generalia fuerit dispensatum; et per quinquennium uoce careat, et pœnæ grauioris culpæ cogatur tribus mensibus subiacere. Eidem pœnæ subiaceat, quicunque frater in-

ueniatur symoniam in eudem casu, uel quocunque alio, commisisse. Et ille qui sic receptus fuerit, (etiam si professus sit) statim de ordine licentietur, pecunia, uel rebus quibuscunque sic acceptis, eidem integraliter restitutis.

De regula sancti Benedicti, prædicatorum, et minorum ordinum, nullus licentiatus recipiatur, quantuncunque extiterit importunus: Alterius uero professionis (quantuncunque sit nostro latior ordo eius) nullus recipiatur, nisi licentiatus. Si quis autem habens licentiam, receptus fuerit, sicut liber à sæculo fugiens, in probatione manebit: et à die receptionis suæ usque ad quinquennium, ad prioratum, uel supprioratum aliquem, etiam si doctus ualde, et grandeuus existat, nullatenus assumetur.

Præterea si nouitius (quicunque sit) dum in probatione fuerit, modum, qui sibi ex ordine seruandus traditur, non seruauerit: ut inhonestè se habeat, aut præsumat cum aliquo malitiosè contendere, seu in superbiam erectus aliquid aliud attentet, per quod possit in domo alicuius perturbationis materia suscitari; differri eius eiectio non debebit, sed statim de ordine expellatur: et nouitius qui pro culpa expelletur, ulterius non recipiatur. Si aliquis uero nouitius, quacunq; die, infra assignatum sibi tempus probationis, aspexerit retro, si postmodum, transacta die eadem, redire uoluerit, non recipiatur, nisi ea conditione, et modo; ut iterum per annum, et diem debeat in probatione manere; nisi eius uita, et conuersatio talis fuerit, quod uideatur discretioni patris nostri generalis, seu prouincialis illius prouinciæ, cum eodem misericorditer dispensare.

Qualis debeat esse magister nouitiorum, et de quibus ipsi nouitij instruantur. Cap. XVIII.

Prior præponat nouitiis unum ex fratribus magistrum doctum, et honestum, uirum approbatum, et nostri ordinis præcipuum zelatorem: qui eos ante omnia doceat, purè ac discretè, et frequenter confiteri, castè et sine proprio uiuere: instruat eos de regula, et constitutionibus, de officio et cantu: hortetur etiam de moribus et signis, et alijs obseruātijs ordinis: et omnia necessaria eis apud Priorem procuret: surgere ad uigilias, si fuerint somnolenti, et in ecclesia excitet, et ubicunq; se negligenter habuerint, eos, quantum poterit, uerbis et signis, obsecrando, increpando, studeat emendare, quia eorum cura ei specialiter est commissa.

De apertis culpis, et negligentiis, cum coram eo ueniam petierint, aut puniat, aut accuset eos apud priorem, vel Capitulum.

Doceat magister ipse nouitios, quomodo inclinationes, genuflexiones, atque prostrationes horis, et locis debitis faciant; quomodo inclinent cōuentui, et unicuique fratri, cum eum obuium habuerint, quomodo inclinent danti sibi aliquid, vel à se recipienti, malè, vel benedicenti: quomodo designatū sib locū teneant; quomodo et quid orent, et quam silenter, vt rugitū alijs non faciant: quanta custodia corda sua, et linguas suas seruent: quanta diligentia libros, uestes, et alias res domus custodiāt: quale exemplum alijs, præsertim humilitatis, et obedientiæ præbeant: ut cum nemine contendant, sed omnibus, et præcipue magistro suo obediant, saluo ubique mandato prioris, cui neminem præferre debent. Vt soli cum solis infra septum loci, nisi in præsentia prioris, uel magistri sui, aut cū eorum altero, uel nisi de alterius eorum licentia, uel in missa cū solo fuerint, uel in mensa, non maneant, nec loquantur. Vt non coniungant se conuentui; nisi fuerint signo uel uerbo uocati; ut in regula uel constitutionibus, plus aut minus quàm expediat, dicere non præsumant. Vt quando hos

spites, aut infirmi comedunt, illuc, nisi missi, ire non audeant. Vt cum bibunt sedeant, et cum duabus manibus teneant uas in quo bibunt. Vt neminem (quisquis ille sit) penitus iudicent, sed siqua aliquando uiderint, licet mala uideantur, bona suspicentur, uel bona intentione facta. Vt non ambulent extento collo, sed fixis oculis in terrã: ut cum sibi aliquid datur, ut uestis, subtalares, cultellus, et similia, profundè inclinantes dicant, Benedictus deus in donis suis. Vt cum fratres processionaliter uadunt, socios collaterales attendant. Vt non loquantur de absente nisi bonum, neminem in faciem laudent, nulli iniuriam faciant, sed illatam sibi patienter ferant. Vt sine licentia literas uel munera aliqua nulli mittant, nec ab aliquo recipiant: paupertatem ament, delitias fugiant, quia castitas periclitatur in illis. Voluntatem propriam pro uoluntate prioris sui deserant. Sanctam scripturam auidè legant, deuotè audiant: et ardenter addiscant. Gradus parentelæ suæ non recitent, de generis nobilitate non se iactent; de honore sæculi non glorientur, nec de parentum diuitijs extollantur.

De modo professionis faciendæ tam à fratribus, quam à conuersis. Cap. .XIX.

COmpleto termino probationis nouitij: prior de uita, et moribus eius, diligẽti examine, ab illis inquirat, cum quibus fuerit conuersatus. Cuius conuersatio, si adeo sancta, et honesta extiterit, ut de sua perseuerantia spes probabilis habeatur, prior inquirat de receptione eius ad professionem uota singulorum fratrũ, et si maior pars de eo recipiendo consenserit, eum in capitulum uocari faciat: quem sic coram omnibus alloquatur. Chare frater, ecce nunc tempus tuæ probationis completum est: in quo expertus es omnem asperitatem ordinis nostri, et in omnibus, præterquàm in consilijs fuisti nobiscum, sicut unus ex nobis. Nunc ergo è duobus oportet te unum eligere: siue à nobis discedere, et abire in uiam tuam, uel renuntiare huic sæculo, et dedicare, atque offerre teipsum totum deo, et ordini nostro: sciens, quod postquàm te sic obtuleris, de sub iugo obedientiæ eiusdem ordinis, collum tuum, quacunque ex causa, non licebit excutere: quod sub tam morosa deliberatione cum recusare liberè posses, sponte suscipere uoluisti. Quod si ipse responderit uelle sic deo, et ordini se offerre: tunc eo stante, prior in capitulo, uel in missa, prout ei uidebitur expedire, benedicat cucullam eius, dicens. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Domine Iesu Christe, qui tegumentum mortalitatis nostræ induere dignatus es, obsecramus immẽsam tuæ largitatis abundantiam: ut hoc genus indumenti, quod sancti patres, ad innocentiæ et humilitatis indicium, abrenuntiantes mundo ferre sanxerunt: ita benedicere. ✠. tua benedictione digneris, ut hic famulus tuus: C. qui eo usus fuerit, te induere mereatur. Qui uiuis et regnas etc. Et responso, Amen, Prior induat nouitium ipsum cucullam, dicendo. Induat te dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, et sanctitate ueritatis. Resp. Amen.

Nouitius itaque cuculla benedicta indutus, genua flectat ad pedes prioris, et ad iussum eius tenẽs regulam beati Augustini in manibus suis, ponat illam in manibus prioris, et profiteatur hoc modo. Ego frater. C. facio professionem, et promitto obedientiam Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper uirgini, et tibi generali priori fratrum heremitarum sancti Augustini, et successoribus tuis canonice intrantibus uiuere sine proprio, et in castitate, secundũ regulam beati Augustini, usque ad mortem.

Si uero

Si uero prior generalis non fuerit præsens, profitebitur priori prouinciali, uel priori loci hoc modo. Ego frater .C. facio professionem, et promitto obedientiam Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ sẽper uirgini, et tibi fratri .G. priori prouinciali, uel priori loci de .B. nomine et uice prioris generalis ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, et successorum eius canonice intrantium uiuere sine proprio, et in castitate, secundum regulam beati Augustini usque ad mortem. Postea prior surgens erigat professum, suscipiens eum ad osculum pacis: et deinde idem faciant sessores utriusque lateris.

Suscepto igitur ab omnibus osculo pacis; nouitius factus professus, ad iussum prioris, in loco quem assignauerit sibi, sedebit: quem exhortabitur ipse Prior, ut intentè reddat deo, quod uouit, castè uiuendo, mente, et corpore: nihil possidendo proprij actu uel uoluntate: obediendo superiori sine murmure uel contradictione, et mores, quos in probatione didicit nouitius, non negligat obseruare professus, quia quod Deo in probatione pendebat ex libito, nunc reddere tenetur ex uoto; et his dictis in pace discedant.

Si uero ipse nouitius taliter profiteri noluerit, aut de recipiendo eo maior et sanior pars capituli nõ concordauerit, cum quibus fuerit cõuersatus: dicat ei prior: frater mi, mores tui non concordant cũ moribus nostris, tolle quod tuum est, et egredere liber à nobis.

Fratres infra terminem trium annorum à receptionis suæ ingressu, ad officium prioratus, supprioratus, uicarij, discreti, sacristæ, et procuratoris assumi non possint, nec uocem habeant in electione prædictorum.

Conuersi maneant in probatione per annum et diem, sicut fratres, et postea professionem faciant sicut fratres, qui in nulla èlectione uocem habeant, qui sola corona, quæ nulli conuerso concedatur, differant à reliquis fratribus.

Facta autem professione statim tradantur à priore suo alicui de honestioribus fratribus sui conuentus in curam, cui fratri teneantur ipsi iuuenes obedire, sicut nouitij magistro suo, usque ad sacerdotium. Volumus etiam, et mandamus, quòd sicut prædicti professi iuuenes separantur à nouitiorum magistro, ita separentur ab ipsorum nouitiorum consortio.

Qualiter recipiantur hospites, et extranei, et ad quid hospites nostri ordinis teneantur. Cap. .XX.

HOSPITES *si quando ad nos uenerint, maximè religiosi, hostiarius cum multa uultus hilaritate suscipiat eos, et introductis suadeat, ut ecclesiam intrent, postmodum in capitulo sedeãt, donec responsum dabitur eis. Interim hostiarius, cum matura festinatione ad priorem accedat, et denunciet illos adesse. Qui audito eo, quantum poterit, festinet honeste satisfacere eis, ne si absque responso ipsos longa mora tenuerit, ibi materiam turbationis habeant, uel turbẽtur. Quòd si ipsi hospites religiosæ personæ, et uenerabiles fuerint, ad habitacula interiora introducat, uel introduci faciat eos. Cũ qbus (si gratia refectionis sumendæ uenerint) esse poterit ipse prior, assumptis secum de fratribus duobus, uel pluribus, aut uno, sicut discretioni eius uidebitur expedire. Et si à remotis uenerint, pedes eis lauari faciat. Non autem cuiuscunque religionis habitum deferentes ad interiora deduci uolumus, nec parem familiaritatem quibuslibet exhiberi: cunctis tamen, et si non æqualiter, secundum quòd honestas ordinis, et facultas domus permiserit, charitatiue et hilariter seruiatur.*

Paucis de clero sæculari, et laicis dabitur ad secundum claustrum, et hortum, uel uiridarium ingressus: ita ut claustrum ipsum, et hortus, sit ab extraneorum accessibus alienus. Primum etiam claustrum nisi in casibus expressis, et secundum prioris discretionem, sæculares intrare permitti non debent.

Hospites uero nostri ordinis fratres, siue de longe, siue de prope ueniant, quantum prioris uidebitur discretioni, in domo hospitum erunt; apud eum tamen nulla sit acceptio personarũ. Non enim dicitur personarum acceptor, qui merita considerat, non personam. Si enim ipsi hospites sunt prælati, uel aliàs uiri autoritatis et famosi, interdum cum eis comedere poterit ipse prior, assumpto de conuentu nunc uno, nunc alio fratre secum. Non autem indifferenter debet esse in mensa cum quibuslibet hospitibus, aut semper unum et eundem, aut eosdem fratres de conuentu, secum assumere, ne inde conuentus, si sæpius extra refectorium fuerit, aut solus, uel eosdem semper assumpserit, detrimentum patiatur, et huiusmodi singularitate sua cæteros scandalizet. Recumbentibus uero hospitibus, ibi soli illi compareant, quibus iniunctum est, ut eis deseruiant. Et ipsi hospites, maximè si nocturno, uel silentij tempore uenerint, se nulli coniungãt, uel loquantur, nisi illis, ad quos spectat hospites suscipere, uel de speciali licentia prioris, cum et ipsi hospites eodem tẽpore, quãtum commodè poterunt, intendere silẽtio debeãt.

Post exhibitam à priore hospitibus humanitatem decẽtem; cõsideratis eorum meritis, et labore, si ulterius in domo moram cõtraxerint, ubique, et in omnibus sicut fratres cõuentuales ad omnia teneantur; excepto, quod in capitulo uocem nõ habeant.

Si tamen ex ipsis hospitibus aliquis aliquid habuerit à priore suo in mãdatis, seu quodcunque aliud negocium utile, et honestum, cui oporteat ipsum attẽdere, prior loci ipsum nõ patiatur negocijs aliquibus occupari; ne illud, propter quod uenit, grauiter impediri ualeat, uel differri; sed sicut discretioni suæ uidebitur, ei de socio prouidebit, cum quo illud tale quid ualeat expedire. Nolumus enim hospites simul ire quacunq; ex causa, nisi sint personæ uenerabiles, uel graues, uel nisi iudicio prioris, id, necessitate graui, et ardua exigente, nõ debeat negari.

Cum fratres debent aliquò ire, eadem die nõ reuersuri, accedant ante maius altare, et positis genibus dicant psalmũ Beati immaculati in uia, usq; Retribue, cum Gloria patri. Kyrieeleyson, Christeeleyson, Kyrieeleyson. pater noster. Ver. Et ne nos inducas intentationem. Resp. Sed libera nos amalo. Ver. Mitte nobis domine auxilium de sancto. Resp. Et de syon tuere nos. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Adesto domine supplicationibus nostris; et uiam famulorum tuorum insalutis tuæ prosperitate dispone, ut inter uiæ et uitæ huius uarietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen. Cum uero redeunt, accedant ante maius altare, et positis genibus, ut supra, dicant psalmum Leuaui oculos meos in mõtes, cum Gloria patri. Kyrieeleyson, Christeeleyson, Kyrieeleyson. Pater noster. Ver. Et ne nos inducas in tentationem Resp. Sed libera nos à malo Ver. Saluos fac seruos tuos. Resp. Deus meus sperantes in te. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne deus, miserere his famulis tuis, et quicquid in uia eis surripuit uisus, aut auditus malæ rei, aut ociosi sermonis, totum ineffabili pietate absterge. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen.

Si autem aliquis frater extra conuentum suum aliquid commiserit, propter quod corrigi debeat, si illud sibi sufficienter probetur, à priore, in cuius conuentu, uel quæsta tũc reperitur, de huiusmodi

delicto

delicto commisso, secundum statuta ordinis corrigatur. Quòd si prior ipse fratrem, qui in suo conuentu, uel quæsta sui prioratus deliquit, sine scandalo corrigere non possit, priori prouinciali, ac uisitatoribus excessum huiusmodi fratris, quancitius lucidè, et distinctè, cum omnibus conditionibus delictum aggrauantibus scribat, et notificet.

Quicunque Prior, uel uicem eius gerens non receperit fratres charitatiuè, secundum possibilitatem loci, pœnæ grauioris culpæ, per quindecim dies, debeat subiacere: et prouincialis super eo inquirat, qui contrafacientem ad prædictam pœnam compellat. Si uerò prouincialis in hoc negligẽs fuerit, in capitulo prouinciali puniatur. Statuimus etiam, et mandamus, quòd ordinetur domus communis in quolibet loco, ubi est possibilitas, pro forensibus adueniẽtibus, ita quòd propter forenses non sit inquietudo, uel perturbatio fratribus conuentualibus, in communi dormitorio residentibus. Quòd si defectus huius domus ex negligentia prioris fuerit, uel eius uicem gerentis, uoce actiua et passiua per triennium careat.

Quòd fratres, sine literis testimonialibus, aliquó non mittantur.

Cap. XXI.

STatuimus, ut nullus frater nostri ordinis extra septum loci solus uadat, idest absque fratre socio, professo, uel nouitio, seu conuerso eiusdem ordinis, siue sit subditus, siue prior, Nec prior ullus de subditis aliquem solum ire permittat, nisi tã arduus casus emergeret, quòd id absque detrimento ordinis, uel alicuius domus, uel personæ obseruari non possit: in quo casu, talis mittatur, de cuius honestate, & grauitate non dubitetur. Alioqui priores locales contrafacientes, prouinciales ab officio prioratus absoluant, uel suspendant. Et si de suspensione, uel absolutione, aliqua causa rationabili impediente, non uideretur: pane et aqua, et disciplinis, nec non et alia pœna eos acriter corrigant, et emendent.

Insuper inhibemus præcisè, ne aliquis prior conuentualis det licentiam aliquibus fratribus de conuentualibus suis eundi de loco ad locum per prouinciam, nisi pro necessitate, aut communi utilitate sui conuentus, uel alterius nostri ordinis: aut pro aliquo arduo casu, uel pro manifesta & euidenti necessitate alicuius singularis fratris; et hoc cum literis testimonialibus, in quibus causa huiusmodi exprimatur. Præcipimus etiam, quòd nec ipsi priores sine euidenti causa, de loco ad locũ uadant, contrafacientes modo simili, ut prædictum est, puniantur.

Ambassiatam alicuius personæ ecclesiasticæ, uel sæcularis, seu communitatis, frater nullus assumat extra prouinciã, uel intra, sine generalis, uel prouincialis licentia speciali. Siquis quoque conuentuali prior extra prouinciam propriam iuerit, aut de fratribus suis miserit aliquem, absque generalis uel prouincialis sui licentia, pœnæ prædictæ debeat subiacere, nisi sit prior alicuius loci, in prouinciarum finibus constituti, qui possit ire, uel mittere suos fratres ad propinquam ciuitatem, pro casu utili, et honesto.

Si autem aliqui fratres sine testimonio literarum sui prouincialis, extra prouinciam propriam exiuerint, uenientes quidem ad locum ostiarius intromittat; sed postquàm testimoniales literas sciuerit non habere, id quancitius cautè priori domus insinuet. Qui statim, congregatis aliquibus de senioribus suis, uel toto conuentu in capitulum, uel in alium locum, fratres huiusmodi inordinatè euntes ad se uenire faciat, et comperto, quòd testimoniales literas non habeant, de consilio eorũ puniat eos, secundum suam, et illorum discretionem. Quòd si ad cõuentum suum redire uoluerint, ire permittantur, si autem morari plusquàm per diem unum uoluerint, punitionem ferre cogan-

tur, et dum in loco steterint, dormitorium, uel ecclesiam, aut sacristiam, seu alicuius fratris de cõuentu cellam non intrent, et secretò cum aliquo, uel aliquibus, nisi de licentia prioris, non loquantur: et si inueniatur, quòd sint fugitiui, tanquam apostatæ puniantur. Illud idem uolumus obseruari de fratribus euntibus per prouinciam propriam, sine sui prioris prouincialis testimonio literarum, uel localium priorum, secundũ formam superius ordinatam.

Priores uerò, in personarũ uisitatione, et allocutione, talẽ fratribus legẽ imponãt, quã et ipsi, quantũ debitũ officij sui patitur, seruẽt, ne ex immoderata uisitatione, et locutiõe alicui scãdalũ tribuatur.

Inhibemus insuper, ut nullus frater etiam associatus, extra septum loci, sine licẽtia sui prioris exeat, nec solus ipse prior. Quod si quis prior, uel subditus, cum deliberatione fecisse fuerit deprehensus, culpam apostasiæ nouerit se incurrisse, nisi ineuitabile detrimentum, et arduus casus, ut superius dictum est, hoc excuset.

Siquis uerò de fratribus, cuiuscunq; conditionis existat, siue conuentualis sit, siue hospes (prouinciali enim, et conuentuali priore, eleemosynarijs, et procuratore domus exceptis) aliquò uisitandi gratia, uel quacunque alia causa exire debet, domos, et personas, ad quas intẽdit ire, priori loci specificet, socium nullum petens ex nomine, contentus eo, de quo prioris discretio prouidebit. Et si forsitan uocatus aliquam de non specificatis, causa rationabili suadente, domum intrauerit, reuersus ad locum, id priori significet.

Inhibemus etiam, ne quis frater ueniendo de extra ad locum nostri ordinis, ad domos personarum audeat, tam sæcularium quàm religiosarum, quoquo modo accedere, uel comedere, uel pernoctare; sed recto tramite ad locum ueniat. Qui contrarium fecerit, comedens, octo diebus in terra sedẽs, tribus diebus comedat panem et aquam, pernoctans uerò sicut apostata puniatur: mandantes priori illius loci, ut tales pernoctantes debeat carceri mancipare, nisi fuerit talis necessitas, ut meritò ualeat excusari.

Quandocunque autem, et quauis ex causa, extra septum loci ire contigerit fratres, euntes et redeuntes à superiore genuflexi benedictionem petant.

Qualiter ad refectionem intrent, et sedeant ipsi fratres.
Cap. XXII.

HORA *competenti, ante prandium uel cœnam, cellarius uel minister hebdomadarius cymbalum, uel campanã paucis ictibus pulset: quo audito, omnes fratres in silẽtio stent, donec post refectionem gratias exoluerint in ecclesia; et abluãt sibi manus, et locum silentij intrent, ibi sedentes honestè, quousque signũ audierint intrãdi in refectorium. Prior uero, pulsato signo ablutionis, lõgam moram non faciat, sed siquid ante refectionem aut loqui, aut legere uult, statim congregatis omnibus, aut dicat, aut legat, aut legi mandet: similiter si alicuius culpam audire, aut aliquem corrigere uult, cito faciat: deinde pulsato altero signo, fratres ad mensam introducat. Quibus ingressis refectorium, et stantibus hinc inde uersis uultibus: ordinatè ex tunc procedant in omnibus, sicut in rubrica de mensa continetur. Fratres panem non discooperiant, nisi primò lectio incipiatur, & signum à priore fiat. Fratrum præsentium, à mensa prima nullus remaneat, exceptis custodibus et ministris: et quoquot remanserint, in secunda mensa comedãt, ne tertia fiat: propter quod, prior iniungat egredientibus, ut sic ad locũ festinẽt reuerti, ut saltem secundæ mensæ ualeãt interesse.*

Nulla

Nulla pictantia fiat in secunda mensa, quæ in prima facta non fuerit, nisi forsitan hospites interdũ adfuerint: nam tunc eorum reliquiæ, poterunt in secunda mensa comedentibus dari.

Frater sedens in refectorio, non mutat fratri pictantiam, absque licentia prioris: sed sibi data à priore, uel permissione ipsius ab alio, dare à dextris et à sinistris, si uoluerit, licebit.

Siquis iuxta se sedenti uiderit aliquid deesse de communi, signo requirat. Commune autem intelligimus, quicquid tunc, idest, in refectorio, hora prandij, uel cænæ fratribus apponitur communiter: de quo, si quid ulli defuerit, illud intelligitur requirendum: quia si quis aliud quæsierit, ei non dabitur, quicquid sit illud, absque licentia prioris.

Et si quis quippiam in refectorium manifestè, uel latenter (sine licentia) ferre præsumpserit: ut uel ipse, uel alius comedat illud ibi: ab esu rei huiusmodi in refectorio, statim ex tunc, usque ad quadraginta dies, abstinere cogatur, nisi statim gratiis peractis, post refectionem publicè suã confiteatur offensam: pro qua, infra octo dies proximos, unam diem in pane et aqua tantum, debeat ieiunare.

Prior sollicite, et attentè respiciat discũbentes, et si quos tumultuosè agere, uel inutiliter significare, uel inhonestè se habere deprehenderit, aut statim signo coherceat, aut post gratias coram fratribus durè arguat, ut cæteri terreantur: atq; si id non sufficiat, pœna eis (quæ ipsos instruat) imponatur.

Postquam igitur prior ipse inspexerit fratres ab esu desistere (de mensis omnibus eleuatis rebus, exceptis tobaleis) signo imperet lectori, finem facere lectioni. Qui statim, audito signo, dicat. Tu autem domine miserere nobis: *Et responso* Deo gratias, *omnes fratres egrediantur de mensis: et ipsis stantibus, sicut in benedictione steterunt, cantor inchoet uersum usque ad punctum: et fratres communiter prosequentes, totum cõpleant, sicut in ordinario continetur.* Cellerarius itaq; *uel seruitor sic colligat toballeas, ut non pereant, aut conculcentur fragmenta.*

In cœna autem domini, uel parasceue, postquam lector in mensa finem lectioni, ad signum prioris fecerit, cantor media uoce incipiat psalmum Miserere mei deus, *quem ad ecclesiã alternatim processionaliter euntes, sicut alijs diebus, sine gloria complebunt.*

De cibis, et ieiunio fratrum. Cap. .XXIII.

A *festo omnium sanctorum usque ad natiuitatem domini, nullo labore, uel occasione (excepto infirmitatis articulo) non nisi semel in die, et cibarijs tantum quadragesimalibus fratres reficiantur, atque uerum ieiunium seruent.*

Frater uero, qui ieiunium, à festo omnium sanctorum usque ad natiuitatem domini, præsumpserit uiolare, quia (postpositis dei reuerentia, et timore) tam honestum, et religiosum mandatum ordinis infringere nõ ueretur, pro qualibet die, qua ieiunium fregit, tribus diebus continuis, infra duas hebdomadas, à fractione ipsius ieiunij, in pane tantum et aqua ieiunet, in medio refectorij super nudam terram sedens. Priores quidem, et uisitatores, et prouinciales faciant dictam pœnitentiam ab omnibus delinquentibus inuiolabiliter seruari.

A resurrectione autem Domini *usque ad festum omnium sanctorum, et à natiuitate domini, usque ad Dominicam quinquagesimæ, exceptis solemnibus ieiunijs, et sextis, ac quartis ferijs, et die præcedente ascensionẽ domini, et natiuitatem beatæ Mariæ uirginis, omnibus indifferenter cibis uti licebit: Ouis etiã, et caseo, ac lacte, et huiusmodi alijs in sabbato, et quartis ferijs uti poterunt*

fratres.

A resurrectione usque ad festum omnium sanctorum, exceptis solemnibus ieiunijs, et sextis ferijs, et die praecedente ascensionem domini, et festum beati patris Augustini, et natiuitatem beatae Mariae uirginis, fratres ad ieiunium non cogantur.

In Parasceue in pane et aqua tantum, ac lactucis aceto tinctis reficimur super tabulam nudam: et in hoc nullatenus, nisi cum infirmis, dispensetur.

Priores autem, et procuratores locorum studeant talem uitam facere in conuentibus, ut eam ipsi, alijque fratres, tam fortes, quam debiles ualeant supportare.

Qualiter fratres ad collationem conueniant.
Cap. XXIIII.

IN diebus ieiuniorum, fratres post completorium, hora competenti, conueniant ad collationem pulsato signo campanellae, stantes in refectorio: et facto signo a priore, intrent ad mensam, et lector legat sine nota, quousque seruitor singulis potum apposuerit. Tunc erectus ad signum prioris dicat, Benedicite. Et prior subiungat, Largitor omnium bonorum benedicat potum seruorum suorum. Et respondeatur ab omnibus, Amen. Et tunc fratres cum ambabus manibus bibant: quod semper et ubique seruare debent sedendo. Lector uero legat, quousque ipsi lectioni finem fieri prior innuerit. Tunc dicat, Tu autem domine miserere nobis. Et egressis è mensa, atq; è regione stantibus, Prior dicat, Sit nomen domini etc. prosequendo ut in Rubrica de mensa.

Fratres uero post collationem in unum minime conueniant, sed orent, aut legant. Facto autem signo post collationem à sacrista, nulli extra cellam suam omnino remanere liceat, nec alter ad alterius cubiculum aliquando uadat, absque licentia speciali.

De numero, et qualitate uestium fratrum.
Cap. .XXV.

FRatres, exceptis sarabolis, iuxtà carnem uestimentis lineis non utantur, nisi in casu infirmitatis, et de sui superioris licentia speciali, sed laneis tantum, quae tanto magis honestati nostrae congruunt, quanto magis fuerint uiliores.

Vnicuiq; autem fratri haec uestimenta habere licebit. Tunicam unam albã longã, cum scappularijs duobus: Aliam breuiorem etiam, seu tunichinum, quam et sub longa, et sub cappa nigra deferre possit: cappam unam nigram cum duobus caputijs, clamidem seu mantellum nigrum, cum clauiculo ligneo seu de osse nigro ligatum, sine ligatura serici, et cuiuslibet speciei metalli, et camiseas laneas tres. Supradicta autem omnia, neque ex praetioso panno, neq; ex sargia rasa, sed ex communi panno, uel rascia grossiore sint, et recipientes a conuentu nouas, reddant ueteres.

Pratiosum uero pannum, et nobilem reputamus, qui nimis est carus secundum consuetudinem patriae, et qui ueram nigredinem non habet: et honestati nostrae paupertatis, et continuae, saeu quotidianae exigentiae eleemosinarum non respondet. Quapropter districtè praecipimus omnibus prouincialibus, et uisitatoribus nostrae religionis, quatenus si inuenerint contrarium facientes, siue priores, siue lectores, uel quoscunque alios, auferant ab eis, et faciant uendi, cũ honestate ordinis, et

ex

ex denarijs pannus ematur, pro habitu honesto, et humili.

Pelliceas uero de pellibus siluestribus, nulli portare cōcedimus: nisi quis tali infirmate laboret, quòd de consilio medicorum eis uti habeat opus: sed de pellibus domesticis pelliceas illi portare poterūt, quibus prior suus duxerit concedendum: tam siluestres tamē, quàm domesticas fratres tectas portabunt. Supra cappam cingantur fratres corigijs, quæ sint de corio nigro, et cum osse nigro, quæ non sint amplius duobus digitis latiores, et ad minus digito et dimidio, in quibus nil dependeat, uel deferatur.

Biretum etiam more secularium, necnon et bursas, et cultellos deauratos, uel alia notabilia manubria curiosa, etiam uaginas rubeas, et bicoloratas, uel laminas aliquas habentes, cordulas etiā omnes, præter albas aut nigras, nullus portare præsumat. Sudaria quoque, quæ seu pro sudore tergēdo, seu pro quauis alia causa deferunt fratres, linea simpliciter esse mandamus, ut in eis nil albo colori contrarium misceatur. Sigilla denique propria, nisi de licentia generalis, nulli liceat habere.

Subtalares autem et suberi, siue planellæ ex corio similiter nigro sint, ac totum pedem tegentes.

Extra uero conuentum non nisi cum calceis exeant, altis usque ad clauiculas, de corio nigro, et corigijs duntaxat nigris ligatis.

Habitum nigrum semper cum extra septum loci exeunt fratres, deferre tenentur. Ad horas canonicas de mane, et ad missam conuentualem quotidie, ubicunque chorus in loco est inferiori: diebus uero festis, etiam ad uesperas, et in diebus communionis ad omnes horas, ubicunque chorus fuerit, præterquam ad nonam, et completorium. Præterea semper, cum in die capitulum intratur, et confessiones in ecclesia audiuntur.

Fratres in dormitorio super fiscones aut paleas mataratium habeant unum laneum, et dormiant in cellis eis concessis, quæ nunquam claudantur, quo minus cum claue communi loci aperiri possint.

In qualibet autem dormitorij cella sit fisco unus, et mataratium laneum, super lecteriam religiosam et honestam, quam prior semel in anno faciat lauari, et de nouis paleis repleri, et sic etiam unum puluinar laneum ad tenendum ad caput. Et inqualibet lectisteria sit fargana una, quam frater desuper teneat.

In forestaria uero (loci possibilitate considerata) sint lecteriæ simili modo religosæ, et honestæ, numero usque ad sufficientem opportunitatem: et in qualibet ex eis sit unum mataratium, uel saltem fisco unus albus, mundus, et honestus, cum alijs pannis oppartunis, saltem, ut supra dictum est.

Infirmi sanè graui infirmitate grauati, et eo debiles et languidi iam effecti, possint in linteaminibus et pennis iacere, donec tali sunt languore, et infirmitate grauati. Alij quoque fratres in pennis uel linteaminibus, quæ de lana non fuerint, omnino in loco aliquo ordinis non iaceant, et alibi (in quantum honestè possunt) uitent.

Cultras de serico, uel alia coopertoria delicata, et curiosa nullus infirmus, uel sanus in lecto teneat, uel in eis modo aliquo iacere præsumat. Hæc enim et similia, non solum nostræ sunt dissona paupertati, uerum etiam confusionem, et erubescentiam inducunt de paupertatis professione cuilibet appetenti.

Ad horum obseruationem, et loci promotionem, debet prior quilibet tanto fortius laborare, quanto magis ad augumentum honoris, et bonæ famæ appetit ordinem promoueri. Cum cuculla quoque, uel scapulari, uel capucio paruo quilibet dormiat: et extra cellam, nullus sine cuculla, uel scapulari exeat.

Volumus autem quod quilibet prior localis (ad minus quater in anno) omnes cellas ſui conuentus diligenter perquirat, aſſumptis duobus ſecum, uel tribus de ſenioribus de conuentu, et ſi inuenerit camiſiam, uel aliquod indecens ueſtimemtum, puniat tenentes. Idem prior prouincialis, et uiſitatores in ſuis uiſitationibus faciant. Prior *autem concedere poſſit, ut fratres ſenio, infirmitate, uel debilitate grauati, in dormitorio ſuper pēnis, et honeſtis linteaminibus iacere poſſint: ubi commodè non habentur officinæ, in quibus, extra dormitorium dormire ualeant tales fratres. Aliter autem ſuper pennis dormientes, et linteaminibus in dormitorio utentes, ſeu quicquam aliud circa lectum inhoneſtum tenentes, ſuperioris arbitrio puniantur.*

Quicunque autem frater cellam alterius, ſine expreſſa licentia prioris, intrauerit de die (quam licentiam prior dare non debet, ſine neceſſaria, et rationabili cauſa) per quindecim dies in terra pœniteat. De nocte uero intrans, prædictam pœnam ſubſtineat duplicatam. Si quis autem de hoc pluries notatus fuerit, et conuictus: de conuentu illo, tanquam ſuſpectus, et inobediens remoueatur. Eodem *modo puniatur ille, cuius eſt cella, niſi euidenter ſigna immediate oſtendat, quod ſibi diſpliceat introitus supradictus.*

Quomodo, *et quando debeat fratribus, pro congruentia temporum, in ueſtibus prouideri.* Cap. XXVI.

Q*Via congruum tempus ad prouiſionem ueſtimentorum fratrum eſt, à feſto ſancti Michaelis uſque ad feſtum omnium ſanctorum: uolumus quod quilibet prior, infra prænominatum tempus, ſciat à fratribus sui conuentus, quo ueſtimento, cuculla, uel tunica, quilibet ex eis magis indigeat.* Quo *ſcito, charitatiua feſtinatione procuret idem prior, ut infra terminum prædictum, de uno ueſtimento communis pretij, cuilibet fratri ipſius conuentus (non habito reſpectu, quali, uel quanto tempore, in eodem loco conuentualis extiterit) ſit prouiſum.* Præter *hæc autem unum scapulare, et calciamenta neceſſaria, iuxta poſſibilitatem loci, alicui ex dictis fratribus pœnitus non negentur, et nulli fratri pro ueſtimētis pœcuniæ dentur.*

Omnium *quoque tam* Priorum *quam aliorum quoruncunque fratrum ueſtes, unius ſint, et eiuſdem pretij.*

Ille ſanè qui de loco ad locum obedientiam recipit ſe transferendi, omnia quæ habet, tam in libris quam in alijs quibuscunque rebus, priori loci de quo recedit ſingulariter demonſtrabit: et ea omnia scripta in una cedula, ſigillata ſigillo eiusdem prioris, priori, ad quem ibit, cum prædicta litera repreſèntet, sciens ſe (præuaricatione suæ obedientiæ) perditurum quascunque res, ſi eas ſecundum prætaxatam formam omiſerit præſentare.

Quoties *in anno, et quibus temporibus minutio fieri debeat in communi.* Cap. XXVII.

F*Rater nullus ſibi minuere audeat, niſi de conſilio medici interdum uideatur aliter obſeruandum, et hoc fiat de licentia sui prioris. Minuti à primo die minutionis eorum, uſque ad diem tertium non ieiunēt, niſi interueniat ſolemne ieiunium.* Prior *uero ſeorsum eis in uictu melius quam alijs faciat prouideri, et ipſos ad uigilias ſurgere cum conuentu non cogat. Sacerdos, qua die ſibi minui fecerit, et ſequēti, miſſam celebrare nō*

cogatur, nisi talis sit forsitan casus, quod si non celebret, ordini scandalum oriretur. Qui autem in lingua, uel in manu, post cibum fecerit sibi minui, ieiunia ordinis non frangat, nisi discretioni prioris uideatur aliter obseruandum. Cum fratre autem minuto, si uidebitur, ut sexta feria uescatur ouis, et caseo, dispensari poterit.

Quoties in anno, et quibus temporibus fieri debeat rasura in cõmuni.
Cap. XXVIII.

RAsura superior, siue corona, sit non modica, ut religiosos decet, ita ut inter ipsam, et tonsuram (quæ super aures tam clericis, quam laycis fratribus omnibus, ac etiã conuersis æqualiter fiat) non reseruentur clericis plusquam duo digiti capillorũ: et fiat de quindecim in quindecim dies ad minus. Præter has rasuras, nullus faciat sibi radi, nisi propter infirmitatem aliquam id alicui concedatur, de consilio medicinæ. Quòd si alicui quacunque ex causa concessum fuerit differre rasuram, nulli tamen fratri, cuiuscunque conditionis extiterit (nisi infirmitatis causa) liceat differre tonsuram. Contrafaciẽtes uero, si saltem post mensem à die rasuræ, uel tonsuræ se non correxerint, si priores aut officiales fuerint, sint ipso facto ab ipsorum officio suspensi, nec illud officium, quo uis modo, exercere possint, nisi in primis se radi, aut tonderi, quo ad barbam et comam efficaciter fecerint: si uero officiales non fuerint, uoce actiua et passiua per annum careant, et, nisi resipuerint interea, nihilominus acrius puniendi. Tonsuram autem tam barbæ, quam comæ ita fieri uolumus, ut tantum de barba et capillis incidatur, quantum forcipicibus mediante pectine incidi potest. Concedimus tamen quòd prædicatores nostri ordinis, qui hebdomada immediatè antecedente septuagesimam rasi fuerint, si sequẽti quadragesima cum effectu prædicauerint, usque ad octauam paschæ radi non teneantur; alijs uero totius anni temporibus, perinde ut cæteri fratres, hoc nostrum decretum pœnitus seruare cogantur.

De forma electionis supprioris, et officio eius.
Cap. XXIX.

QVilibet conuentus nostri ordinis (in quo præter priorem quinq; fratres fuerint) habeat suppriorẽ, à diffinitorio prouinciæ electum, cuius officiũ et autoritas, in solius prioris potestate consistit, ita ut existẽte priore in loco, se habeat sicut alius frater in omnibus, excepto quòd si prior aliquibus negocijs occupatus, in choro uel in capitulo, seu ad collationem non fuerit, aut cum hospitibus esset: supprior in locis illis, in loco prioris erit, et sicut priori obedietur eidem. Cum autem prior foras egreditur, die ipsa ad locum proprium reuersurus: ac si in loco esset, suppriories eadem autoritas erit, excepto quòd emittere possit fratres, si necessarius casus exegerit: et concedere fratribus, ut ordinatè cum extraneis loqui ualeant, in casibus concessis. Si uerò ad loca remotiora perrexerit, utpote ad Generale, uel prouinciale capitulum, uel aliò, quod multũ distet; intelligitur supprior in omnibus gerere uicẽ eius, nisi ipse prior sibi specialia aliqua interdicat, contra quæ, uel aliquod eorum (etiam si ad id, omnium fratrum, siue capituli consensus accedat) non præsumat aliquid attentare.

Quocunque autem casu suppriore infra annum decedente, uel aliàs ab officio amoto, prouidere de alio suppriore ad prouincialem pertinebit, cui prior et fratres casum mortis, aut amotionis, per lis

teras suas statim significare procurent. Verum ne interea conuentus ipse aliquod dispendium patiatur, prior ordinaria potestate sua, alicui de magis discretis, et prouidis familiæ suæ religiosis, uices suas committere poterit. Hoc idem faciet, cum conuentus, ob paucos fratres, à diffinitorio nõ habuerit suppriorem, et ipse prior aliquò, præterquam ad capitulum, ire debebit.

Si autem (quod absit) antequàm prouincialis de suppriore prouiderit, ut præfertur, priorem loci diem suum obire, aut ab officio suo contigerit amoueri, fratres in communi uicarium eligant, qui uices prioris, donec aliter, ut præfertur, prouisum fuerit, gerat.

Quando autem ad capitulum iturus est prior, si conuentus suppriorem non habuerit, fratres conuentus uicarium de familia ipsa per formam secreti scrutinij, eo modo, quo discretus domus eligendus est, eligant: qui post prioris recessum, sicut prior, curam eorum, ac regimen in spiritualibus ac temporalibus geret, donec per prouincialem et diffinitores capituli aliter prouisum fuerit, aut prior ipse redierit, uel successor illius aduenerit.

Vbi autem supprior est, non licebit priori alium loco sui relinquere, nisi id sibi à priore Generali, uel prouinciali et diffinitoribus, concessum fuerit.

De modo electionis procuratoris, et sacristæ, et officio eorum, Cap. XXX.

CVM Procurator, uel sacrista erit eligendus, talis modus seruetur; uidelicet, quòd prior in capitulo omnibus fratribus cõgregatis in communi, coram omnibus uoluntatem singulorum requirat: et in quem maior, et sanior pars fratrum concordauerit, ille pro sacrista uel procuratore habeatur.

Procuratoris officium est omnia bona conuentus, quæ per ipsum tractari consueuere, unà cum priore, uel socio sibi assignato, sub duabus clauibus diuersis custodire, et exteriora omnia quantũ poterit procurare. Familiares domus, et fratrum, maximè autem infirmos, uisitare: quid conuentui in refectorio, quid mensæ hospitum, quid necessitati expediat infirmorum solicitè et diligenter inquirere, ne, quantum in eo fuerit, et facultas domus permiserit, fratres incommodum graue, siue sani, siue infirmi fuerint, patiantur: sed hoc de uoluntate prioris tacita, uel expressa faciat: sine cuius licẽtia ei aliquid expèdere, etiã in cõmune cõmodum, nõ liceat. Hic tempore silentij, debitis horis cum infirmario, coquinario, cellerario, conuersis, et famulis domus, de ijs quæ tunc necessaria erunt, loqui poterit, discretè tamen, ne concessa sibi potestate uideatur abuti.

Bona omnia spectantia ad conuentum, quæ ad manus eius peruenerint, et quomodo expenderit, et expensas quas fecerit, in libro uel scribat, uel faciat scribi: aut de omnibus illis semel in mense, coram toto conuentu, reddat rationem, et conuentus pœnitus audiat. Quod si introitus forsitan residui aliquid fuerit, illud quid, quantum, et ubi fuerit; seu si debitum contraxerit, cui, et quantum et pro quibus casibus tenetur, eisdem fratribus, uel conuentui resignabit, sciens quòd debitum pro quacunque causa (absque prioris speciali licentia) contrahere non licebit.

Quando autem ad capitulum eundum est, omnium debitorum et creditorum, introituũ, et expensarum summas, coram toto conuentu declaret, et per literas conuentus manu omnium subscriptas, ad diffinitores mittat.

Deposita aliqua cuiuscunque personæ, procurator, uel frater alius recipere, uel saluare nullo modo præsumat, nisi de consensu, et uoluntate prioris, et sanioris partis capituli. Et si aliqua hoc modo recepta fuerint, cum inuentario ipsorum seruentur, neque ea prior ipse, aut cõuentus, sub præ

textu

textu aliquo, uel occasione aliqua, obligare alicui, uel de eis aliquid expendere, ullo modo praesumant. Si deposita fuerint magna, nisi de licentia prouincialis, uel sui uicary, nullatenus recipiantur.

Inhibemus autem, ut nullus frater alicuius communitatis efficiatur camerarius, uel massarius, seu alicuius domini saecularis, quantuncunque importunè petatur. Quicunque autem procurauerit ullo modo, uel procurari fecerit, ut ipse, uel alius de nostro ordine, ad officium huiusmodi eligatur, uel petatur, poenae grauioris culpae, per mensem unum (sine dispensatione aliqua) debeat subiacere. Simili poenae subiaceat, quicunq; per se, uel per alium procurauerit quouis modo, ut capellanus alicuius personae ecclesiasticae, uel saecularis fiat.

Sacristae autem officium est, ornamenta ecclesiae custodire, se reddere solicitum in ys, quae ad diuinum officium pertinent, tam in horis pulsandis, quam in alys ad eius officium pertinentibus; cum totus conuentus, in predictis ad manus eius prospiciat, et attendat. Oblationes uero fidelium, quae deferuntur ad altaria, uel dantur pro missis specialiter, nominatim ad manus eius ueniant, in libro sacristiae scribat, quas custodiat, et pro utilitate sacristiae expendere possit, et etiam conuentus, si de prioris et conuentus processerit uoluntate. De quo introitu, et exitu, sicut procurator suis temporibus reddat rationem.

Idem fiat de cereis, candelis, uel quacunque cera, quae occasione funeralium, uel quauis alia de causa, ad manus sacristae deuenerint.

Bona autem quae ad sacrarium pertinent, sine patris Generalis, aut prioris prouincialis, ac diffinitorum prouinciae licentia speciali, in scriptis habita nullatenus distrahantur, et ipsorum singulis annis duo renouentur inuentaria, quorum unum sacrista ipse teneat, alterum in communi deposito seruetur.

Si quae notabiles eleemosinae ad manus prioris, procuratoris, aut sacristae, uel alicuius fratris deuenerint, eae, quales et quantae fuerint, et quare, et á qua persona datae sint, de sero ad orationem, coram fratribus á priore nominentur, personae quoque pro quibus huiusmodi eleemosinae datae sunt deuotè fratribus commendentur, ut pro ipsis affectuosè orent, eo modo, quo hi qui huiusmodi eleemosinas contulerunt, expetunt, et expostulant: et ita eis, ut opus est, missas celebrandas, et alias orationes iniungat,

Quomodo eligatur discretus, et uicarius domus, cum ad prouinciale capitulum itur. Cap. XXXI.

IN electione fratris, qui pro capitulo loci, siue domus, cum priore conuentuali ad prouinciale capitulum ire debebit: et eius qui pro uicario, ubi non est supprior, remanere debebit, seruabitur iste modus. Fratribus omnibus, qui erunt de capitulo, congregatis in unum, eligantur duo fratres, qui super electione utriusque audiant uota fratrum, primo uota sua scribentes, et postea caeterorum, hoc modo. Frater Abel consentit in fratrem adam, pro uicario eligendum, et pro discreto in fratrem Iob. Quo facto, coram omnibus unus illorum duorum pronũciet, siue publicet, quis uicarius, et quis pro discreto, nominatus erit. Et postea de uoluntate omnium unus de scrutatoribus, eundem uel eosdẽ eligat, sic dicendo. Ego frater. C. nomine meo, et nomine omnium ad quos spectat electio uicary et discreti, eligo fratrem. G. in uicarium talis loci, et fratrem. S. in discretum capituli prouincia-

lis, talis prouinciæ.

Et tunc egresso priore de capitulo cum alijs qui uocem non habent in electione prioris, ipsi duo fratres qui audierunt scrutinium, et frater discretus tunc electus, secedētes in partem, ita ut ab alijs uideri possint, non tamen audiri, sua primum, deinde aliorum fratrum uota scribant, super confirmatione prioris, si confirmari in officio potest, uel alterius electione, aut postulatione.

Si uero contigerit, quod prædicti duo auditores scrutinij, unus pro discreto, et alius pro uicario, electi fuerint, aut aliquis eorum pro uicario, uel discreto electus fuerit, frater alius de conuentu, iuxta prædictam formam, de nouo eligatur, qui cum prædictis duobus, scilicet, uicario et discreto, super facto prioris audiant uota fratrum. Quo electo, prior egrediatur extra capitulum, et fratres super facto prioris, sicut superius continetur, cum grauitate procedant.

Si autem aliquis frater subditus, cuiuscunque conditionis existat, inueniatur procurare uoces pro aliquo fratre eligēdo ad curam animarum, uel ad aliquod officium ordinis; quindecim diebus, in pane et in aqua, sedendo in medio refectorij ieiunet, et qualibet die recipiat disciplinam, et usq; ad triennium careat uoce.

Capitulum autem, siue conuentus petens suum priorem absolui, per literas ex parte conuentus petat aliquem uirum religiosum, à uicario et diffinitoribus in priorem præficiendum. Et in petitione eorum successiue plures ponant, eo quòd si de primo non potest satisfieri eis, ut pote, quia forte ad curam animarum ex aliqua rationabili causa non potest assumi, uel forte, quia à maiori et digniori loco petitur in priorem, aut, quia postulatus tanta instantia petit, ipso anno sine cura animarum manere, quòd eius humilitas sic obtinet gratiam remanendi, satisfiat eis de secundo; quòd si de secundo eis simili modo satisfieri non potest, satisfiat eis de tertio. Quòd si nullus eorum uidcatur uicario capituli, prouinciali, et diffinitoribus concedendus, alium qui eis idoneus apparebit, præficere poterunt.

Super his etiam, et alijs, uota omnium et singulorum fratrum, nihil addito uel diminuto, distinctè et apertè unus ex his scrutatoribus coram alijs scribat, et literis scriptis, eas cum sigillo conuentus, statim sigillari faciat, et ipsas sic sigillatas uicario, et diffinitoribus, per discretum loci trāsmittat; in quibus etiam quis nam ab eis pro discreto mittatur, explicetur: cum sine literis conuentus à quo mittitur, nemo pro discreto recipi possit, uel debeat.

Quòd si quis aliquid operatus fuerit, propter quod uota fratrum, nihil addito, uel diminuto, ad uicarium et diffinitores capituli non perueniant: per annum careat uoce, et per duos menses pœnæ grauioris culpæ subiaceat.

Prior autem qui à conuentu repetitur, in suo statu omnino remaneat, nisi aliquid obsistat canonicū, propter quod in officio remanere non possit.

Si uero in electione uicarij, uel eius, qui pro conuentu ad prouinciale capitulum iturus erit, uel etiam supprioris, fratres se in partes æquales diuiserint: illius partis præualebit electio, quam prior sine uitio acceptabit.

Vitium autem intelligitur esse, si sufficientior non præfertur.

Ad prouinciale capitulum, non nisi frater clericus, et qui habeat ad minus uiginti quinq; annorū ætatem, pro discreto mittatur.

A die absolutionis prioris, uel quocunque casu aliàs officium prioratus uacaret, fratres, qui uocem in electione habebunt, liberè, usque ad mensem, quando uoluerint, electionem de priore poterunt celebrare: non distincto de qua sit prouincia, dummodo aliàs sit persona idonea.

Nolumus autem, ut aliquis (nisi sit sacerdos, et natus de legitimo thoro) ullo modo possit in priorē,

uel

uel suppriorem, aut uicarium assumi, eligi, uel relinqui, nisi fuerit cum tali per summum pontificem dispensatum: saluo quòd si de aliena prouincia electus fuerit, ad generalem eius confirmatio pertinebit. Si uerò *infra mensem, non elegerint prædicti fratres priorem, uolumus ut ad generalem, si in prouincia fuerit, sin autem, ad priorem prouincialem, & uisitatores ipsa autoritas et potestas prouidendi de priore deuoluatur.*

C*uiuslibet autem prioris electionem generalis prior, si præsens fuerit, uel, si illi ad quos spectabit, pro ea ad ipsum recursum habuerint, si eam canonicè celebratam inuenerit, confirmabit: aliàs autem, quilibet prior prouincialis, si confirmatus fuerit, electiones omnium conuentuum de prouincia sua, si canonicè celebratæ fuerint, confirmabit.*

C*onuentus autem, qui suppriorem habuerit, et non uicarium, debebit eligere discretum, qui pro conuentu ad prouinciale capitulum cũ priore uadat.*

P*rior quoque loci, in quo ipsum capitulum celebrari debebit, sui non priuabitur executione officij, donec eius absolutio secundum formam ordinis fuerit promulgata. Sed nec is, qui in uicarium loci illius electus est, aut supprior, donec secundum prædictam formam, de eiusdem prioris absolutione constabit, nisi iussus, de aliquo se intromittat.*

De *officio et autoritate conuentualis prioris, et pro quibus casibus debeat absolui.* Cap. XXXII.

PRiori, *tanquam patri, fratres sui conuentus cũ deuotione et reuerentia, saluis mandatis maiorum, omnes obediant.* Ad *officium autem eius pertinet suis subditis spiritualia, et temporalia ministrare, et ex eis delinquentes secundum ordinis instituta corrigere, et à sententia excommunicationis, ex leui iniectione manuum subditorũ suorũ proueniente, absoluere. Sed cũ ab irregularitate absoluendi autoritatẽ non habeat, irregularẽ subditum suũ ministrare in sacris ordinibus non permittat, nec ipsũ etiã suũ uicariũ relinquat, nec cum ad ordinem promoueri faciat:* N*am talibus, non solum administratio est inhibita: uerum cuiuslibet dignitatis est electio, seu promotio interdicta. Præterea potest ipse prior apostatum suum à die commissæ apostasiæ, salua ordinis disciplina, usque ad mẽsem recipere: et cum fratribus extra refectorium, dormitorium, chorum et claustrum, si quando suæ discretioni uidebitur, in silentio dispensare.*

In *loco, quantũ potest, assiduus sit, et ad illud idẽ cogat fratres suos, quantum potest, cum ex nimio discursu ordo apud clerũ, et populũ incurrat infamiã non modicã, et iacturã.*

P*ræterea inhibeat ipse prior instanter fratres discurrere per ecclesiam, et de ea exire, quando diuinum officium celebratur.* I*tem subditos suos moneat sæpe, ut per locum, et extra locum, religiosè, et deuotè incedant: et cum omnibus (maximè cum clericis sæcularibus, et religiosis alterius professionis) humiliter, et deuotè loquantur: et ipsis clericis, et religiosis, honorem et reuerentiam, cum casus occurrerit, decenter exhibeant.*

P*rælatos quoque prior, et fratres ubique honorent, et cum ipsis humiliter, et pacificè ubique conuersentur, et uiuant; et eis, inquantum honestas et status religionis permittit, et reuerentiam & honorem exhibeant.*

P*rior quoque, cui cura animarum subditorum suorum ab ordine est commissa, et pro quibus* D*eo debet reddere rationem, inter cætera suos subditos ad humilitatem, obedientiam, paupertatem, et castitatem integrè seruandas, frequenter hortetur et moneat; ad horas canonicas temporibus sta*

tutis Deo reddendas, intus, et extra solicitet, et confortet: et eas semper in choro pro more legi, aut cantari faciat.

Si uerò frater aliquis (quod absit) ita immemor suæ salutis fuerit, ut horas canonicas intus, & extra, more debito, Deo reddere non curauerit: illum prior moneat, increpet, et corrigat. Si autem pluries monitus de hoc non se correxerit, priori prouinciali significet, et ipsum de suo conuentu, si sine scandalo fieri potest, remoueri petat, sperans, ut uitam suam, ex hoc forte alibi in melius mutet. Nam quasi schismaticus uitari merito debet, qui debitum, quo deo tenetur astrictus, eidem subtrahere nullatenus timet.

Extra uerò ipsum locum, ultra tres dies, sine euidenti necessitate prior non stet, si autem pro utilitate loci quandoq; forte aliter expediret, uel sibi euidens necessitas immineret, de licentia sui prouincialis, si in propinquo loco fuerit, faciat. Quòd si propè non fuerit, ad hoc consensum omniũ seniorum sui conuentus requirat, et habeat: alioqui pro qualibet uice, tres dies, continuato ieiunio, in pane et aqua, sine ulla dispensatione, ieiunet. Qui uerò huius mandati ex consuetudine trãsgressor extiterit, nisi suos discursus moderauerit, ad prioratus officium, tanquã leuis et incõstãs, eligi non possit.

Supprior autem, qui per electionem factus est, uicarium relinquere poterit, si autem per obliuionẽ in loco uicarium, in quo supprior non est, quandoque relinqui omittatur, ille alijs præsit sacerdos, qui prius ad ordinem uenit; et idem obseruetur in fratribus alijs, ubi sacerdos non reperitur.

De subditis uerò suis prior ad sacros ordines nullum sine licentia sui prouincialis promoueri faciat; quòd si contra fecerit, octo dies in pane et aqua, infra mensem ieiunet.

De bonis autem pertinentibus ad conuentum, prior quantum fieri potest, non recipiat, nullo autem modo apud se retineat: sed si quandoque ipsum aliquid à persona aliqua recipere contingat, quod inuitus facere debet, illud quantum, et quale, procuratori domus, statim cum fuerit in loco, resignet, et det, et in libro procuratoris illud lucidè et clarè, nomen et cognomen eius qui dedit, et qua de causa dedit addendo, scribi faciat.

Frater uerò quicunque sit, qui de bonis pertinentibus ad conuentum aliquid receperit, et dicto modo nõ resignauerit, si de hoc probabiliter fuerit conuictus, pœnæ furti subiaceat, et per omnem modũ furti iudicio condemnetur.

Prior debitum sine licentia sui conuentus, uel maioris partis, et sanioris ipsius, nullum contrahat; et si contraxerit, ad omne officium ordinis ineligibilis maneat, usquequò per capitulum generale cum eo dispensetur. Expensas item nullas, sine licentia sui conuentus faciat, sed necessarias & utiles expensas, per procuratorem, uel suppriorem, seu sacristam (si quandoque procurator in loco non sit) fieri faciat; ne ex hoc procuratoris officium impediat: Procuratori tamen, statim cũ ad locum uenerit, dictas expensas resignet, et eas in libro procuratoris scribi faciat, ut de ipsis cũ alijs, rationem reddat. Et si quandoque, aliqua causa emergente, aliquas modicas expensas ipsum facere contingat, de illis, coram omnibus fratribus lucidè, et clarè rationem reddat, et si utiles et necessariæ pro loco cõpertæ fuerint, eas procurator soluat, alioqui ipse, qui sine utili, uel necessaria causa conuentus fecit, per suum superiorem puniatur.

Prior sanè, cui curam, et administrationem alicuius loci capitulum prouinciale committit, ita in administratione, et cultu diuini officij, et obseruatione bonæ uitæ, et famæ, et interius & exterius, per se, et suos fratres, uigilet et insistat, ut deo qui corde & opere colitur, administrationem acceptam, et gratam exhibeat, et ex ea ordini fidelium deuotio plus accrescat. Vtilitatem & commoditatem loci sic prouidè procuret, et quærat, ut in fabrica ecclesiæ, domorum, & alia loci

promotione,

promotione, sua solicitudo, & fidelitas nota fiat.

Ad capitulum si quidem prouinciæ, quicquid in fabrica, et ædificijs domorum, & ampliatione situs locorum expendit, conuentus per suas literas (quas discreto dabit portandas) transmittat, ut diffinitores et prouincialis, seu uicarius, qui habēt statui locorum prouinciæ prouidere, possint arbores infructosas, et terram inutiliter occupantes succidere; fructuosas uero, et utiles, cultura debita uenerari.

Item prior quilibet, in quantum ordinis honestatem, honorem, et bonam famam diligit: oratorium, uel ecclesiam, in ijs quæ ad ornatum pertinēt, et decorem ecclesiæ, studeat solicitè conseruare. Domos uero et officinas omnes, maximè dormitorium, refectorium, foresteriam mundè, et honestè procuret pænitus retinere.

Tempore quoque ordinato, et præfixo prior ad capitulum suæ prouinciæ ibit. Quòd si iusto et excusabili impedimento ire non poterit, sigillum, per discretum sui conuentus, mittat. Si uero personaliter non iuerit, uel si iustam habens excusationem non eūdi, sigillum non miserit: eo ipso quòd mandati ordinis transgressor existit, ad omne officium cum cura animarum ineligibilis, per quinquennium, permanebit.

Rursus etiam nullus inuitus prior, aliter quàm in generali, uel prouinciali capitulo (nisi pro excessu aliquo de infra notatis) absolui debeat: nisi tali laboret infirmitate, quòd si de alio non prouideretur, locus incurreret detrimentum.

Excessus uero, pro quibus poterit absolui, sunt isti; uidelicet, si infirmos sui conuentus sæpe non uisitauerit, et si eos diligenti cura medici, et medicinæ, ubi haberi poterunt, curari non fecerit, et si eis sufficienter necessaria per infirmarium solicitum, et deputatum seruitio ipsius inrfirmi, ministrari non fecerit. Si ad matutinum ex consuetudine raro surgit: si capitulum non intrat nisi raro: si proprijs, et illicitis quæstibus intendit: si raro celebrat. Si fratribus ex consuetudine minatur, et uerba eis opprobriosa, et contumeliosa ex consuetudine dicit. Si constitutiones ordinis frequenter non legit, uel legi facit. Si de nocte colloquijs inutilibus, ex consuetudine uacat. Si de bonis, quæ ad manus eius peruenerint, sicut procurator, coram toto conuentu, et omni mense, rationem non reddit. Si schisma, uel aliquid aliud probabiliter committit, propter quod, pax sui conuentus, siue prouinciæ turbari possit. Si probabiliter etiam inueniatur, quòd per se, uel per aliū procuret, ut ad officium prioratus eligatur, uel in eodem confirmetur: in quo casu, priuatus officio prioratus, in quo est, ad omne aliud ineligibilis, per triennium, permanebit. Si communem uitam cibi, et potus cum fratribus non tenet. Si munera, seu dona ab aliquo subdito suo, præter comestibilia aut leuia, receperit. Si probabiliter inueniatur, quod alicui habenti uocem in aliqua electione suaserit, ut uocē suā huic, uel illi det. si quid cōmiserit probabiliter, propter quod pœnæ grauioris culpæ debeat subiacere. Si subditum suum de manifesto excessu, secundum ordinis instituta, non correxerit. (excessum autem manifestum intelligimus, qui per tres, uel per duos saltem fratres bonæ uitæ, et famæ, et opinionis probari potest). si fratribus suis, secundum statuta ordinis necessaria non prouidebit. Si studentibus ante festum omnium sanctorum subsidium non miserit.

Prætcrea, quia tremendum, et periculosum est, in sententiam excommunicationis prorumpere, districtè præcipimus, et mandamus omnibus cōuentualibus prioribus, supprioribus, et uicarijs; ut pro nulla interueniente causa, irrequisito generali, uel prouinciali priore, uel uicem eius gerente, in sententiam excommunicationis prorumpant; sed alteri eorum, conditione exposita, et de ferenda tali sententia petita licentia, et in scriptis obtenta, poterunt eam ferre: quam cum tremore debēt

non modico, trina monitione canonica præmissa, in scriptis promulgare. Aliàs enim, idest sine scripto, & monitione, sententiam excommunicationis ferens triginta diebus ab ingressu ecclesiæ abstinere debet: alioqui, ipso facto, idest quia non abstinuit, triginta diebus ab introitu ecclesiæ, postquàm sententiam excommunicationis tulit sine monitione, et non in scriptis, irregularitatis sententiam se sentiat incurrisse: cuius absolutionem nõ nisi a priore generali poterit obtinere.

Igitur cum huiusmodi sententiæ multiformiter pericula contineant animarum, generalis, uel prouincialis prior, de cuius autoritate ferre debent, ad huiusmodi licentiam concedendam, quoſi inuiti, et cum multa maturitate, et prouidentia inclinentur.

Prior autem, qui contra præscriptum præceptum, præsumpserit sententiam excommunicationis aliquam promulgare, ipso facto à ministratione, et executione officij, sit per mensem suspensus: et secundas, quartas, ac sextas ferias eiusdem mensis, in pane et aqua solum ieiunet: et interim supprior, si est, regat locum, alioquin antiquior sacerdos, donec per superiorem remedium opponatur.

Modus autem ferendæ sententiæ (pro quibusdam in talibus forte rudibus) talis erit. Ego frater G. ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, prior in tali loco, te fratrem. B. de tali loco, nostrum subditum, et conuentualem rogo, hortor, et moneo, primo, secundo, et tertio, et tibi in uirtute sancti spiritus strictè præcipio per obedientiam salutarem, quatenus, remotis odio, amore, timore, prætio, et precibus, quicquid scis de tali facto, coram me et fratribus, tali et tali, dicas hodie, per totam diem, quam tibi pro peremptorio termino assigno. Quod si hoc præsens mandatum nostrum non adimpleueris, seu contempseris obseruare, te ex nunc, prout ex tunc, trina monitione præmissa in his scriptis, uinculo excommunicationis innodo. Lecta et lata hæc sententia, anno domini. M. etc. in capitulo loci sancti Augustini, in tali terra.

De modo celebrationis Prouincialis capituli, electionis uisitatorum, diffinitorũq́; ac discretorum, qui ad generale capitulum sunt ituri. Cap. XXXIII.

Cuiuslibet prouinciæ omnes conuentuales priores cum discretis à conuentibus eorũ electis, et alij uocales, si qui fuerint, ad locum celebrandi capituli suæ prouinciæ præordinatum, opportuno tempore, singulis annis, studeant conuenire: uidelicet feria quinta post dominicam tertiam post pascha: anno tamen, quo generale capitulum celebratur duntaxat excepto: in quo anno prouinciale capitulum celebretur, postquam patres prouinciarũ a generali capitulo discedentes, in suas prouincias peruenerint.

Igitur congregati omnes ad ecclesiam deuotè conueniant, et prior prouincialis Missam de spiritu sancto, cum Gloria in excelsis, et Credo, solemniter cantet, cui omnes fratres, præcipuè uocales, studeant interesse, aut saltem singuli missam de spiritu sancto eodem die celebrare.

Sexta uero feria immediatè sequẽte, post uesperas, de mãdato prouincialis, ad sonũ cãpanellæ ter pulsatæ, ut moris est, õnes fratres, tã uocales quàm nõ uocales, ad capitulũ cõueniant, uel aliò, ubi decenter adesse possint, sicut priori prouinciali uidebitur expedire. Quibus cũ grauitate consedentibus, prior prouincialis dicat. Ver. Adiutoriũ nostrum in nomine domini. Resp. Qui fecit cælum et terram. Ver. Benedicite. Resp. Deus. Ver. Dominus nos benedicat, et ab omni malo nos defendat, et ad uitã æternã perducat, et fideliũ animæ per misericordiã Dei requiescãt in pace Resp. Amẽ. Deinde uerbũ habeat aliquod opportunè; quo expleto (nisi cõtingeret. P nostri ordinis

generalem

generalem capitulo illius prouinciæ adesse, et diffinitorio eiusdem interesse, quia tunc ipse omnia et singula ad præsidentis officium attinentia, ut sibi placeret, exequeretur.) Prior prouincialis publicè ab omnibus in communi inquirat, immo omnibus et singulis fratribus in capitulo in uirtute sanctæ obedientiæ præcipiat, ut si quis illorum haberet prioris generalis literas ad illius prouinciæ capitulum directas, eas protinus ostendat, et legendas consignet; hoc autem præceptum, si literæ non ostendantur, paruo temporis interuallo, ter successiuè fiat, tertia uice sub pœna excommunicationis præcipiendo.

Si uero quispiam huiusmodi literas præsentauerit, uolumus et decernimus, ut illæ ab omnibus debita cum ueneratione, ut decet, suscipiantur, et ibidem in capitulo coram omnibus publicè legantur, eisquè, ut decet, in omnibus obediatur. Et si uirtute illarum literarum aliquis illius prouinciæ lis capituli præsidens institutus fuerit, is ab omnibus cum ueneratione pro præsidēte habeatur; et præsidentis fungatur officio.

Si uero huiusmodi literæ aut nullatenus, aut tempore debito, et publicè, et efficaciter præsentatæ nō fuerint, prior prouincialis antiquiorem anni tunc proximè præteriti diffinitorē inquirat, quem cōpertum pronunciet, in isto casu, esse capituli tunc celebrandi autoritate ordinaria præsidentem.

Quòd si antiquior ex superstitibus, ex quacunq; causa, non affuerit, antiquiorem ex superstitibus qui affuerint, præfati capituli anni tunc proximè præcedētis diffinitorē, donec eo antiquior aduenerit, præsidentem pronūciabit: et statim qui præsidens nominatus fuerit, a patribus circa ipsū sedentibus ad titulum capituli deductus, superiore loco sedeat, ante quem prior prouincialis iam tim genua flectens, in signum obedientiæ et reuerentiæ, manum ei reuerenter deosculetur, postea surgens ad sinistram patris Præsidentis sedeat, et post eum ordinatè sic faciāt omnes fratres successiuè. Quibus finitis Pater præsidens dicat. Ver. Adiutorium nostrum etc. Resp. Qui fecit cælum et terram etc. ut supra. Deinde, prout sibi uidebitur, sermonem habeat.

Eo autem completo, de patrum et præcipuè prioris loci cōsilio instituat capituli celebrandi correctores quatuor, quorum duo diuini cultus officium ordinent, sine quorum, aut alterius eorum licentia speciali, nemo domum exire præsumat: duo alij ad uictum necessaria prouideant, ac mensæ lectores, et seruitores deputent, et fratribus de capitulo hospitium, et refectionem assignent. Quibus correctoribus constitutis, deputet quoq; duos iudices causarum, qui ante omnia literas discretorum examinent, et de habentibus uocem tam actiuam, quam passiuam, omnem controuersiam dirimant, omnes deinde alias controuersias diiudicaturi. Demum facta confessione in communi, et data absolutione à præsidente, dicto Adiutorium nostrum etc. de capitulo egrediantur.

Sabbato uero, cantata missa de spiritu sancto, similiter congregentur omnes, et dicto Adiutorium nostrum. etc. ut supra. Cantores stantes in medio capituli, ōnibus ad tres dictiones genuflexis, incipiant cum nota solemni hymnum Veni creator spiritus et alternatim ex utroq; choro, totum decantent. Deinde. Ver. Emitte spiritum tuum, et creabuntur. Resp. Et renouabis faciem terræ. Deinde pater præsidens cantet. Ver. Dominus uobiscū. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus qui corda fidelium, sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem spiritu, recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per dominum nostrum iesum Christum etc. Resp. Amē.

Oremus.

Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni, et adiuuando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Adesto supplicationibus nostris, omnipotens deus, et quibus fiduciā sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino cōfessore tuo, atq; pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum, Per Christum etc. Resp. Amen.

Sedentibus deinde omnibus, dicat præsidens, Benedicite, et Resp. Deus. Fiat sermo. Quo comple to, fiat commemoratio fratrum, et benefactorum, illo anno defunctorum. Pro quibus dicatur psal mus De profundis etc. Deinde Pater noster etc. Ver. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos amalo. Ver. A porta inferi. Resp. Erue domine animas eorum. Ver. Domine ex audi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Oremus.

Deus ueniæ largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congrega tionis fratres, propinquos, amicos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt: beata Maria sē per uirgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium perueni re concedas. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen. Ver. Requiem æternam etc. Resp. Et lux perpetua etc. Ver. Requiescat in pace. Resp. Amen.

Deinde ad renunciationem, et electionem Prioris prouincialis procedatur hoc modo. Si prouincia lis, casu aliquo, scilicet infirmitatis, uel alterius impedimenti, excusabili excusatione detentus, ad capitulum non uenerit, ab ipsa die præfixa in antea, sit ipso facto à prouincialatus officio abso lutus, et ad electionem eiusdem, uel alterius penitus procedatur. Quòd si prouincialis iustam ex cusationem non habens, ad memoratum capitulum uenire cōtempserit, ex tunc usq; ad decennium, ad omne officium cum cura animarum ineligibilis permanebit.

In prouincialem uero non eligatur, nisi frater talis; qui nunquam apostatauerit, nec fuerit de ali quo unquam uitio notabili in religione conuictus, uel confessus, et qui sciat loqui latinè, quòd si secus fiat, ipso facto electionem huiusmodi, seu promotionem, utribus euacuamus. Si autem in iuuentute, non propter scandalum alicuius delicti commissi, sed animi leuitate, quis nostrum ordi nem exuerit semel, et reuersus quasi statim ad ordinem, in eo semper laudabiliter uixerit, po terit capitulum cum tali fratre dispensare, ut ad omnes indifferenter obedientias ordinis, si alias idoneus fuerit, assumatur et admittatur; si uero bis, quocunque modo apostatauerit, ad prædictū officium prouincialatus ineligibilis, sine dispensatione aliqua, perpetuo permanebit.

Patre igitur præsidente, ac reliquis omnibus fratribus, tam uocalibus, quam non uocalibus, in ca pitulo cum silentio maturè consedentibus, Prior prouincialis surgens, genua flectat in medio ca pituli, uersus patrem præsidentem, et dicat suam culpam, et officio prouincialatus cum omni hu militate, et modestia renunciet, et sigillum in manibus patris præsidentis humiliter consignans, ab officio petat absolui: et tunc pater præsidens respondeat dicens: Et ego autoritate qua fungor in hac parte, accepta renūciationem tuam, et absoluo te ab officio prouincialatus huius nostræ pro uinciæ. N. In nomine patris, et filij, et spiritus sancti. Amen.

Antequam uero ad electionem prouincialis deueniatur, Pater præsidens alta, et intelligibili uoce, di cat, Omnes quot quot non habent uocem actiuam in hac statim celebrada Patris prouincialis hu ius nostræ prouinciæ electione, capitulum egrediantur: ipsius autem iussioni omnes simpliciter obediant.

Egressis igitur omnibus uocem non habentibus, proponātur publicè in communi ex uocalibus tres fratres fideles, et graues personæ, in celebrandi capituli scrutatores eligendi, de quibus præsi dens omnium uocalium uota, uiua uoce, requirat: in quos si maior pars consenserit, præsidens eos ad se uenientes confirmabit, dicens, Et ego autoritate qua fungor, confirmo uos in scrutatores hu ius capituli nostri. In nomine patris, et filij, et spiritus sancti Amen, Si uero contingeret tres no minatos fratres, aut aliquē, uel aliquos ipsorum, non acceptari, Præsidens alium, uel alios in corū locum proponat, donec de tribus scrutatoribus prouisum fuerit, ut supra.

Scrutatoribus igitur electis, et confirmatis, nomina uocalium per iudices causarum descripta, au

dientibus omnibus recitentur. Postea scrutatores ab alijs se se elongantes, ita uidelicet, quòd à cæteris uideri possint, non autem audiri, liberè scribant, in primis quisque uota sua, super Prouinciali eligendo, deinde aliorum uocalium, qui coram ipsis successiuè per ordinem singillatim uota sua exponent, et hoc fideliter faciant. Forma autem electionis hæc erit. Ego frater .N. consentio in fratrem .N. de tali loco eligendum, in priorem prouincialem nostræ prouinciæ .N.

Completo itaque scrutinio, si in quempiam ex electis plures, quàm in quemuis alium, et maior pars electorum consenserit, tunc unus de prædictis scrutatoribus, de expressa uoluntate omnium de capitulo, illum in quem electores ita consenserint, statim in priorem prouincialem eligat, et publicet, dicendo ut infra. Si uero maior pars electorum de aliquo fratre non concordauerit, aut electores ipsi in partes æquales se diuiserint, repetatur scrutinium, donec maior pars ipsorum electorũ in aliquẽ consenserit, et tunc unus de prædictis scrutatoribus, de expresso omnium consensu, illũ continuò in priorem eligat hoc modo. Pulsata ter campana, pro omnibus quibuscunque alijs fratribus congregandis, et ipsis congregatis, publicè, et alta uoce illum sic pronunciet. In nomine domini nostri iesu christi benedicti Amen. Anno eiusdem millesimo quingentesimo etc. die etc. Ego frater .N. senior scrutatorum huius capituli, spiritus sancti gratia inuocata, nomine meo, et nomine omnium, ad quos pertinet electio, eligo in Prouincialem nostræ prouinciæ .N. Reuerendum patrem in christo fratrem .N. etc.

Electo autem, et publicato priore prouinciali, cantores protinus incipiant cum nota Te deum laudamus: et omnes fratres bini, et bini, ut moris est, ad titulum capituli se inclinantes, processionaliter cantantes ingrediantur ecclesiam: et is qui in prouincialem electus fuerit, post cæteros, cũ patre præsidente incedens, genua flectat in medio super gradum altaris; et pater præsidens stet post eum erectus, et cantico finito dicat cum nota, cantando in tono capituli horarum. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, qui corda fidelium, sancti spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo, in eodem spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per dominum nostrum iesum christum filium tuum, qui tecum uiuit, et regnat in unitate eiusdem spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæculorum. Resp. Amen. Oremus. Omnipotens sempiterne deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum, et super prouinciam illi commissam; spiritum gratiæ salutaris, et, ut in ueritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per christum dominum nostrum. Resp. Amen.

Quibus explitis, pater præsidens, ante Priorem prouincialem ad medium altaris accedat, et sedeat è regione coram Prouinciali electo, genibus flexis (ut dictum est) ibi stante, confirmetq; eum hoc modo. Primum tradat in manibus eius sigillum prouinciæ, dicens. Et ego autoritate qua fungor in hac parte, confirmo te in Prouincialem nostræ prouinciæ .N. dans tibi omnem autoritatem, & potestatem in spiritualibus, et temporalibus, quam cæteri prouinciales huius prouinciæ solent habere. In nomine patris, et filij, et spiritus sancti. Amen. Volumus tamen, et decernimus, ut præter hanc per præsidentem factam confirmationem, omnes Prouinciales citramontani, infra spatium unius mensis ab eorum electione, per Patrem Generalem se se confirmandos curent: ultramontani uero infra quatuor mensium: ultra autem præfixum tempus, officio fungi prohibeantur, præter Anglicos, Vngaros, et orientales, quibus spatium concedimus sex mensium eiusdem confirmationis obtinendæ. Quod autem de prouincialibus pro confirmatione obtinenda à P. Generali decreuimus, eodem modo de Vicarijs congregationum nostri ordinis uolumus intelligi, et obseruari.

Deinde, collato sigillo ipsi prouinciali electo, pater præsidens erigat illũ, et sedere faciat ad dexterã

ſuam, et poſtea prouincialis abſolutus genua flectens, et deoſculata manu, det ſibi obedientiam, et ſedeat ad ſiniſtram: et ſic cæteri omnes ſucceſſiuè manum deoſculentur eidem, in ſignum obedientiæ, et reuerentiæ, et ad loca ſua ſecedant ſucceſſiuè per ordinem, ut moris eſt.

His expletis, dictoq; Adiutorium noſtrum etc. et facto ſigno per præſidentem, omnes bini, et bini eccleſiam exeant, et tunc de præſidentis mandato, uocales tantum ad locum capituli reuertantur; quibus omnibus ibi conſedentibus, ad electionem diffinitorum ritè et prouidè procedatur per ſcrutinium, ſicut in electione Prouincialis factum eſt. Facta autem electione, antiquior ſcrutatorum publicè in capitulo pronũciet hoc modo. In nomine domini noſtri ieſu Chriſti benedicti. Amen. Anno eiuſdem milleſimo etc. die etc. Ego frater. G. Antiquior ſcrutatorum huius capituli, nomine meo, et nomine omnium ad quos præſens pertinet electio, eligo in diffinitores præſentis capituli noſtræ prouinciæ. N. Reuerendos patres in Chriſto, fratrem. A. fratrem. C. fratrem. E. & fratrem. G. Et tunc ij quatuor, qui electi fuerint, coram patre præſidente genua flectant, et ipſe eos confirmet, dicens, Et ego autoritate qua fungor, confirmo uos in diffinitores huius capituli noſtræ prouinciæ, dans uobis omnem autoritatem, et poteſtatem, quam cæteri diffinitores huiuſmodi Capituli noſtri ſolent habere. In nomine patris et filij, et ſpiritus ſancti. Amen Confirmati, deosculata manu patris præſidentis, ſedeant poſt prouincialem abſolutum, ſi abſolutus fuerit, alias uerò poſt electum, ordinem ſeruantes primogenituræ inter ſe ipſos diffinitores, in noſtra religione.

Si autem in electione diffinitorum poſt tres duo adhuc inueniantur æquales in uocibus, illius præualebit electio, qui priorem locum in religione tenet.

Diffinitorium uero cuiuſlibet capituli prouincialis horum patrum numero integrari uolumus, uidelicet, patre præſidente, Priore prouinciali electo, et alio abſoluto, ſi tunc abſolutus fuerit, quatuor diffinitoribus electis, et duobus uiſitatoribus anni tunc proximè præteriti, ſi præſentes fuerint, alioqui nemo ſubrogetur.

Quibus expletis, pater præſidens iubeat, ut qui literas habent diffinitorio porrigendas, eas omnes iuniori ex diffinitoribus præſentẽt, qui eas in ſacculo colligens, Patri præſidenti, et cæteris diffinitorio annumeratis fideliter præſentabit, et tunc dicto Adiutorium noſtrum etc. diſcedant.

Ad patris autem præſidentis ſpectat officium, omnibus, et ſingulis, tam in diffinitorio, quam in cõmuni omnium uocalium collegio proponendis, tractandis, et expediendis intereſſe, ac præeſſe, tractanda et expedienda omnia proponere, et acta omnia, et geſta, deciſa, electa, deliberata, determinata, et rite facta tunc confirmare, modo tamen omnia et ſingula huiuſmodi, poſtea a patre noſtro Generali confirmentur.

Collectis igitur literis, hora quæ patri præſidenti uidebitur opportuna, idem pater præſidens unà cum cæteris de corpore et numero diffinitorij exiſtentibus, in loco aliquo decenti, et ſecreto, collegialiter conueniat, et omnibus genua in terra flectentibus pater præſidens incipiat ſine nota. Veni creator ſpiritus, et alternatim totum dicant. Ver. Emitte ſpiritum tuum, et creabuntur. Reſp. Et renouabis faciem terre. Deinde præſidens dicat. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Deus qui corda fidelium etc. Oremus. Actiones noſtras etc. Deinde ſurgentes ad paratam ibi tabulam, ſuper qua commodè ſcribere poſſint, omnes ordinatè ſuis in locis conſedeant, ipſiſq; ſic conſedentibus, pater præſidens dicat. Adiutorium noſtrnm etc. ut ſupra. Subinde pater præſidẽs hortabitur omnes patres diffinitorio aſſiſtentes, ut in omnibus, et ſingulis in ipſo diffinitorio tra

standis, et diffiniendis, sedatis passionibus, odio amoreq́; ac simultatibus depositis, zelum Dei, et religionis præ oculis habentes, ea quæ Dei honorem, animarum salutem, morum correctionem, regularis uitæ reformationem, et religionis conseruationem, propagationemq́; ipsius, et profectum in domino concernere uiderint, exequantur: præcipuè uero, quatenus id efficere ualeant, sit eis animus in consulendo liber, nec alicui libidineo delectui obnoxius: quod ut fœlicius fiat, præcipiat eis omnibus, et singulis, in uirtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna priuationis uocis actiuæ, et passiuæ per quinquennium, quam ipso facto, sine aliqua dispensatione, incurrant, ut tam ea, quæ in diffinitorio proponi, tractari, decidi, ac fieri continget, quam ea quæ super huiusmodi à quouis in ipso diffinitorio existente prolata fuerint, nullo quouis modo, neque quouis tempore, absq; ipsius totius diffinitorij speciali commissione, uel licentia, alicui extraneo à corpore diffinitorij reuelent, quòd si aliquis, aut animi leuitate, aut quauis alia de causa, hoc tam salubre, ac opportunum præceptum, quouis tempore infringere præsumpserit, prætaxatam pœnam, sine aliqua dispensatione, se nouerit incurrisse. Si uero, transacto quinquennio, per misericordiam à patribus in diffinitorium iterum ipsum assumi contigerit, et ipse denuo postea, aut proposita in diffinitorio, aut sententias, siue uerba prolata super huiusmodi, alicuius, uel aliquorum patrum de diffinitorio, quouis modo, aut tempore, alicui extraneo, ut supra detegere, aut propalare non erubuerit, ipsum tanquam ad huiusmodi dignitatem penitus inhabilē, presenti lege, à quouis nostræ religionis diffinitorio perpetuis temporibus abycimus, et omnino abradimus.

In fine uero, quando collegium soluere, et locum diffinitorij exire uoluerint, puta ad prandium uel cœnam ituri, præsidens dicat. Ver. Sit nomen domini benedictum. Resp. Ex hoc nunc & usq; in seculum.

Qandocunque uero ad ipsum locum diffinitorij deinceps eodem, uel sequentibus diebus, durante capitulo, collegialiter eos congregari continget, postquam, ut præmissum est, ordinatè consederint, præsidens dicat. Ver. Adiutorium nostrum etc. Resp. Qui fecit etc. Ver. Benedicite. Resp. Deus. Ver. Dominus nos benedicat etc. Subinde sedentes, ad ea que tunc instabunt, exequenda procedant, et in primis de patris præsidentis mandato, unus de diffinitoribus literas omnes, ac singulas, tam in forma clausa, quàm patente, diffinitorio directas accipiet, et corā omnibus prædictis uidentibus, et audientibus, clara uoce, et distinctè leget, alter autē eorum, quicquid ex literis ipsis lectis decidendum, respondendumuè fuerit, in aliquo speciali quaterno seriosè notabit: in alio uero quaterno, ex literis electionum conuentuum singulorum, electiones de prioribus factas, per ordinem annotabit: in alio prӕterea quaterno fratrum petitiones, circa mutationem locorum, iuxta eundem familiarum ordinem scribet, et sicut successiuè literæ huiusmodi lectæ fuerint, alius aliquis de diffinitorio easdem in distinctis filis infiget, quousque opus esse uidebitur reseruandas. Literis autem collectis et notatis, eligant duos diffinitorij cancellarios, fidos, ac prouidos, et qui secreta seruare norint, quos de singulis literis nomine diffinitorij, tā responsiuis quàm alijs informabunt, sine mora expediendis: illud semper memoria retinentes, dedecus esse literis non respondere, præcipuè principum, ac prælatorum, et aliorum, quorum cum omni reuerentia habenda est ratio. Et pro aptiori rerum expeditione, duos uigiles hostiarios ordinent, quorum alter semper prope ostium diffinitorij presto sit, alter uero per domum citatos inquirendo, sicut oportuerit, matura festinatione discurrat.

Quibus electis et institutis, primum literas rationum introituum, et expensarum conuentuum singulorum, ipsorum debita, creditauè calculent, atque in uno speciali quaterno eorum summas, & residua describi faciant, quorum omnium copiæ priori prouinciali, ac etiam uisitatoribus tradans

tur, cum originalibus libris locorum in actu uisitationis conferendæ. Postea discretis conuentuũ singulorum, et post quemlibet discretum singillatim eius priorem, et alios etiam, si qui audiendi fuerint, seu audiri petierint, per ordinem aduocari faciant, qui diffinitorio referant, quæ ad eorũ officium spectare noscuntur: specialiter uero inquiratur à discretis de Priore et fratribus, quomodo scilicet religiosè uixerint, de promotione item loci, et bonæ famæ, de odoribus apud sæculum, de nouitiorum et iuuenum educatione, de prouisione in uictu, et uestitu ipsis fratribus, tã sanis quàm infirmis: de diuino cultu in ecclesia, et de ijs quæ ad salutem utriusq; hominis attinẽt, qui bono zelo et charitate, super conscientias suas, aperiant omnia cum ueritate, bona et mala, perinde ac si inquisiti super his fuissent in actu uisitationis. Referant etiam uota fratrum singulorum fideliter, iuxta formam constitutionum, rationem assignando de petitionibus eorum, quatenus auditis omnibus, et intellectis, quæ audienda et intelligenda fuerint, rectè possint omnia diffiniri. Et his auditis, ac diligenter examinatis, cum petitionibus fratrum, qui remoueri petunt, etiam nomina eorũ, qui ex causa rationabili amouendi erunt, licet ipsi non petant, in quaterno notandorum scribantur, singuli sub titulo conuentus, in quo fuerint, et cum causa assignata. Deinde singillatim decidatur, et diffiniatur de omnibus ac singulis literis, querelis, et petitionibus diffinitorio delatis, quid in singulis respondendum, iudicandum, corrigendum, mandandum, statuendum, ordinandũ fuerit. Præterea siquid iuxta morum, fratrum, et temporum mutationes de nouo diffiniendum, aut monendum fuerit, diffiniatur, et ea omnia seriosè in alio quaterno conscribantur.

Subinde uero ad institutionem priorum localium maturè, et diligenter procedatur uiua uoce, uel per serutinium, sicut maiori parti uidebitur, per ordinem tamen, iuxta locorum primogenita eligendo, et in hoc patres diffinitores sint accuratissimi. Nam licet omnia maturè debeant Præsidẽs et diffinitores determinare, specialem nihilominus ac præcipuam diligentiam debent ad Priorũ institutionem apponere, quibus ex officio animarum cura committitur, quæ est ars artium: scientes nihil esse, quod ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quòd ad curam animarum assumantur indigni. Et licet eisdem concedatur, quòd possint de aliquo sibi à conuentu nõ electo, nec postulato, si eis uidebitur prouidere: concessa tamen sibi potestate adeò modestè utantur, ut talem (siue à cõuentu electus, siue postulatus fuerit, siue non) præficere studeãt in Priorem, qui sit bonæ famæ, & quem ætatis maturitas, et morum grauitas, ac sufficiens literarum peritia commendent, et qui sit ordinis zelator, & promotor manifestè. Caueántq; diligenter præsidens et diffinitores, quorũ est communibus utilitatibus prouinciæ, pro locorum exigentia prouidere, ne Dei timore, & religionis amore (quod absit) postpositis, quos corrigere deberent, præficiant, et honorent, aut deprimant, quos pro meritis conuenit honorari.

Non bonæ autem famæ eum esse intelligimus, qui sine satisfactione & emendatione longi temporis, de aliquo uitio seu peccato graui confessus fuerit, uel conuictus, aut communiter infamatus.

Ad familiarum postea institutionem, & fratrum mutationem, cum sana maturitate procedant, & unicuique loco prouinciæ, quoad fieri potest, de numero & idoneitate fratrum prouideant respectiuè, pro ut statui prouinciæ, ac fratrum saluti, secundum Deum, uiderint expedire: ita tamen, quòd ad minus duos sacerdotes in quolibet loco deputent, et nisi ex magna et inexcusabili necessitate, mutationes fratrum infra annum nullatenus faciant.

Electis prioribus, et familijs institutis, eligantur eodem ordine supriores conuentuum singulorum, et deinde eorundem familiæ assignentur, in quibus singuli, ut decet, locis suis descripti sint, uidelicet primo sacerdotes, secundo clerici si fuerint in sacris, tertio conuersi, ultimo loco iuniores

clerici,

clerici, et conuersi, et tandem nouitij, et inter ipsos respectiuè seruetur ordo receptionis, aut graduum, et scribantur tituli ordinum, et officiorum, ac graduum ipsorum: uidelicet, si fuerint praedicatores, confessores, lectores, bachalarij, aut magistri.

Facta autem omnium familiarum dispositione, si aliqui de nouo ad sacerdotium, aut ad audientiam confessionum saecularium, aut ad praedicationem uerbi Dei fuerint promouendi, iuxta formam priuilegiorum eligantur. Et si qui etiam extra prouinciam ad alia generalia studia mittendi fuerint, iuxta nostrarum constitutionum formam, magna cum diligentia, et charitate fiat. Locum etiam futuri capituli eiusdem prouinciae celebrandi determinent, et in eodem quaterno describãt. De socio etiam maturo priori Prouinciali prouideant.

Demum eligantur per scrutinium, uel uiua uoce, duo uisitatores, qui sint uiri religiosi, et graues, ac circumspectae personae, et bonae famae, qui totam prouinciam uisitare teneantur, et efficaciter uisitent.

Et si sequenti anno generale capitulum debeat celebrari, eligantur eo modo ut suprà, duo alij fratres, cum quibus prior prouincialis ad capitulum Generale proficiscatur, quorum alter sit diffinitor nomine illius prouinciae, alter uero discretus.

In diffinitores autem generalis capituli, tales in ipsis prouincialibus capitulis eligantur, qui non fuerint in capitulo generali immediatè praecedenti, nomine earundem prouinciarum, diffinitores, et qui non sint iuuenes in ordine, sed saltem per quindecim annos steterint, et qui nunquam cum scandalo ab ordine apostatauerint, nec fuerint de aliquo uitio notabili notati, nec de aliquo alio ordine fuerint, uel apostatauerint, et sint conuentuales de eadem prouincia. Idem fiat de uisitatoribus, et discretis.

De prouisione uero prioris et fratrum noui loci capiendi, diffinitores in solo prouincialis arbitrio non relinquant: sed ad huiusmodi receptionem sic attendant, ut sine ipsorum consilio et assensu, habito etiam cõsilio aliquorum seniorum de prouincia nullus recipiatur. De habitis quoque nullum locum alibi quàm in prouinciali capitulo, et de consilio, et de consensu eorũdem diffinitorum, & priorum ibidem existentium, prior prouincialis relinquat, seu relinqui permittat, sine etiam cõsensu patris Generalis, qui prius, et prae omnibus debet requiri, nisi propter nimiam loci distãtiam, commodè haberi non possit. Quaestam in prouincia faciẽdam ita prudẽter inter loca prouinciae diuidant, et de ea ita modestè, et religiosè disponãt, quòd ex multiplicitate fratrum petẽtiũ per cõtratam, nullum possit scãdalum generari.

Postquam uero patres diffinitorij diligenter, et maturè super omnibus tunc opportunis deliberauerint, hora quae patri praesidenti uidebitur expedire, congregari faciat ad sonum campanellae capitulum, ad quod omnes tam uocales, quam caeteri conueniant; quibus ordinatè congregatis, praesidens dicat, Adiutorium nostrum, etc. Resp. Qui fecit celum, etc. Deinde clara uoce dicat.

Recitentur nostrae Prouinciae, et singulorum locorum ipsius benefactores uiui. Tunc prouincialis electus assurgens, summum Põtificem pro tempore existentem, Reuerendissimosq; Cardinales, praecipue uero Dominum Protectorem, ac Priorem Generalem nostri ordinis, episcopos ordinarios locorum, in quibus Domus, et monasteria illius prouinciae existunt, Serenissimum Imperatorem, Reges, Duces, et alios principes, et uniuersitates fidelium, cum iustitia regentes, praecipuè uero ordini nostro, et prouinciae illi fauentes, orationibus fratrum omnium eiusdem prouinciae comendabit, specialia etiam beneficia, si quae eo anno cõtulerint, referendo. Subinde ad monitionem patris praesidentis quisque prior monasterij sui benefactores speciales uiuos, et beneficia ab eis monasterio collata commemorando, recommendabit; et tunc pater praesidens omnibus

localibus prioribus iniūget, ut cum ad locum peruenerint, missam unam pro defunctis fratribus familiaribus, et benefactoribus eiusdem prouinciæ, et aliam de spiritu sancto pro uiuis decantari faciant, cuilibet uero sacerdoti, tres missas pro defunctis prædictis, et tres de spiritu sancto pro uiuis. Cuilibet autem clerico eiusdem prouinciæ, unum psalterium cum Gloria patri, pro uiuis, alterum cum Requiem, pro defunctis, cuilibet autem conuerso quingenta pater noster cum requiem eternā pro defunctis, et alia quingenta, cum gloria pro uiuis benefactoribus. Quibus expletis, omnes surgant, et stantibus omnibus in locis suis, cantor incipiat sine nota psalmum, Ad te leuaui oculos meos etc. cum gloria patri, etc. Deinde præsidens dicat. Ver. Saluos fac seruos tuos et ancillas tuas. Resp. Deus meus sperantes in te. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Prætende Domine famulis, et famulabus tuis dexteram cælestis auxilij, ut te toto corde perquirāt & quæ digne postulant, consequi mereantur. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen.

Postea, uel tunc immediatè, uel alia hora, quæ uidebitur opportuna, Priores singillatim dicentes suam culpam, officio prioratus, in manibus patris præsidentis sigillum præsentantes, simpliciter renunciabunt, quæ sigilla præsidens acceptando, et eosdem ab officio prioratus absoluendo, dicat singulariter. Et ego autoritate qua fungor, accepto renunciationem tuam, et absoluo te ab officio prioratus conuentus nostri. S. I. In nomine patris, et filij, & spiritus sancti Amen. Et sic de singulis, suo modo respectiuè fiat. Et præsidens iuxta culparum exigentiam, et nostræ religionis statuta, singulis pœnitentiam iniungat, nec ulli quidem parcat.

His omnibus ritè peractis, Reuerendus Præsidens hortabitur omnes, ut dispositiones capituli, prōpta, ac simplici obedientia, sine quauis contradictione, hilariter excipiant, et eas humiliter, cum omni diligentia studeant adimplere; præcipuè uero priores hortetur, quatenus in moribus, ac regimine, iuxta nostræ religionis laudabilia, et sancta instituta, studeant esse conformes. Demum legantur diffinitiones, et priorum ac familiarum dispositiones, omniaq; et singula in eodem capitulo acta. Cum autem pronūciatum fuerit, quem priorem constituerint conuentus. N. is qui nominatus fuerit, statim surgat, et coram patre præsidente genua in terra humiliter flectat, cui pater præsidens sigillum illius conuentus tradens in manibus, ipsum in officio prioratus confirmabit dicens. Et ego autoritate, qua fungor, confirmo te in priorem conuentus nostri. A. dans tibi omnem autoritatem, et potestatem in spiritualibus, et temporalibus, quā cæteri priores dicti conuentus solent habere. In nomine patris, et filij, & spiritus sancti. Amen. Et prior deosculata manu patris præsidentis, sigillum accipiat, et ad locum suum accedat, et successiuè legatur familia, eodemq; modo de cæteris prioribus fiat ordinatè.

His finitis, cantor incipiat alta uoce in nota Te deum laudamus, tunc omnes se se bini et bini ad titulum capituli inclinantes, procedant ad ecclesiam, et omnes campanæ pulsentur. Finito autem cantico, præsidens stans in medio coram altari maiore, dicat in nota. Ver. Saluos fac seruos tuos. Resp. Deus meus sperantes in te. Ver. Mitte eis domine auxiliū de sancto. Resp. Et de sion tuere eos. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Adesto supplicationibus nostris omnipotens deus, & uiam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes uiæ ac uitæ huius uarietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde pater præsidens, et pater prouincialis, et cæteri omnes genibus flexis dicant, Confiteor Deo omnipotenti, etc. quo finito præsidens dicat. Misereatur uestri omnipotens deus, etc. Resp. Amen. Indulgentiam & remissionem etc. Dominus noster Iesus Christus uos absoluat, et ego autoritate qua fungor, absoluo uos à uinculo excommunicationis maioris, et minoris, si quam, uel quas incurristis, et à participatione cum excommunicatis, et restituo uos sanctis sacramentis ecclesiæ, et communioni fidelium, si necesse est, In nomine patris, etc. Eadem autoritate, absoluo uos à communibus transgressionibus regulæ, et constitutionum, ac diffinitionum nostrarum, atq; præceptorum superiorum uestrorum, et à pœnitentijs neglectis. In nomine patris, & filij, et spiritus sancti. Amen.

Concedat insuper licentiam omnibus, et singulis, ut sibi eligant sacerdotem idoneum de eadem prouincia, qui autoritate sua, eos absoluere possit, in foro conscientiæ, semel tantum, infra festum Ascensionis, quo ad eos, qui tunc in capitulo aderunt, ad absentes uero, infra octo dies, postquam id sciuerint, proximè futuros.

Præterea, statuat unicuiq; decem miliaria pro singulo die, infra quod tempus, quilibet ad locum suæ obedientiæ debet peruenire; uidelicet, qui decem miliaribus à loco suo distat, infra diem unum naturalem, qui per uiginti, in duobus diebus, qui per triginta, in tribus diebus, debeat peruenisse, et sic ultra.

Demum peractis omnibus, pater præsidens omnibus benedicat dicens, Pax et benedictio Dei patris omnipotentis, et filij eius domini nostri Iesu Christi, et spiritus sancti, descendat super uos, et maneat semper. Amen. Demum absoluat capitulum dicens. Adiutorium nostrum in nomine domini. Resp. Qui fecit cælum et terram.

Omnibus itaq; ritè dispositis, et terminatis, antequàm diffinitorium omnino soluatur, literæ omnes, quæ diffinitorio delatæ fuerant, in suis filis infixæ producantur in medium, inter quas, si fuerint Apostolicæ, aut Reuerendissimi Protectoris, aut Prioris Generalis, seu aliorum prælatorum, aut principum, aliciusuè etiam personæ priuatæ, quæ ad futura porrigantur, aut quæ commodum ordinis uel prouinciæ cernere, seu aliàs memoria dignæ esse uiderentur, in libro prouinciæ registrentur; cæteræ autem omnes igne comburantur.

Subinde omnia et singula acta, gesta, et diffinita in dicto capitulo, ac dispositiones omnes, et singulæ omnium conuentuum, priorum, ac familiarum eorundem, et uisitatorum, ac loci capituli anni immediatè sequentis eiusdem prouinciæ, in uno quaterno distinctè scribantur, deinde manibus proprijs omnium patrum de diffinitorio ordinatè subscribantur, et maiori eiusdem prouinciæ sigillo muniantur, et deinde ad priorem nostri ordinis Generalem, pro ipsis, ut decet, ab eo confirmandis, quàm citius fieri poterit, mittantur.

Caueant autem Præsidens et Diffinitores, ne quicquam diffiniant, quod nostris constitutionibus contradicat, sub pœna priuationis uocis ipso facto.

Priores uero, aut discreti locorum, antequàm à loco celebrati capituli huiusmodi recedant, literas habeant à priore prouinciali sigillo maiori prouinciæ obsignatas, et manus propriæ eiusdem prouincialis subscriptione munitas, in quibus dispositio prioris, et familiæ sui conuentus, et omnes diffinitiones in eodem capitulo factæ, ac uisitatores instituti, et locus futuri capituli distinctè contineantur: quas cum ad locum suum peruenerint, uicarius qui in loco fuerit anno præterito, congregato capitulo omnium fratrum, qui tunc in loco fuerint, legi faciat, et lecta institutione prioris, eum ad titulū capituli deductū, sedere faciat, et manū, in signum obedientiæ, et reuerentiæ, ipse uicarius, ac subinde cæteri omnes ordinatè priori deosculentur.

De officio, et autoritate Prioris Prouincialis, & pro quibus casibus absoluatur.

Cap. XXXIIII.

PRIORI Prouinciali (saluo semper mandato, et reuerentia patris nostri generalis) fratres de prouincia, tanquàm patri, et pastori omnes obediant, et debitam subiectionem, et reuerentiam eidem cum deuotione, ubique locorum, exhibeant.

Ad officium autem eius pertinet, loca suæ prouinciæ, saltem semel in anno, personaliter uisitare, et ultra etiam, quoties sibi opus esse uidebitur; et in eis corrigere, et reformare, quæ, secundum instituta ordinis, inuenerit corrigenda. Ad eum nanque pertinet, priores locorum suæ prouinciæ, infra annum, canonicè electos, seu institutos confirmare, et ab officio absoluere, si, secundum institutum ordinis, casus emerserit absoluendi.

Et si uisitatores prouinciæ ante tempus suæ uisitationis, unus, uel ambo decesserint, seu aliquo iusto, et rationabili impedimento impediti uisitare non potuerint, prouincialis et diffinitores præcedentis capituli, alium, uel alios, loco eorum instituant.

Et si (quòd deus auertat) frater fratrem percusserit, poterit eos à uinculo excommunicationis (nō tamen irregularitatis) absoluere: id tamen ad ultramontanos prouinciales extendi nolumus, sed eis facultatem concedimus, ut cum fratribus suarum prouinciarum respectiuè, super irregularitatis et inhabilitationis maculis dispensare, eosdemq; quando expedire iudicauerint, habilitare ualeant, cum Pater Generalis est citramontes. Idem fiat de citramontanis, cum ipse pater Generalis est ultra montes.

Volumus etiam, quòd fratres, qui sunt ad sacros ordines, secundum instituta ordinis promouendi, ut de expressa licentia prouincialis, et non aliter ordinentur. Excipimus tamen sacerdotium, ad quod non nisi tempore capituli à patribus diffinitorij, fratres promoueri ualeant. Et si promotus distinctè psalterium legere nesciuerit, et missale, qui cum promoueri fecerit, à die promotionis huiusmodi usq; ad annum, sextas ferias solum, in pane et aqua ieiunet: qui si sextas ferias, secundum quòd dictum est, non ieiunauerit, per triennium ad omne officium cum cura animarum ineligibilis, sine dispensatione aliqua permaneat, et uoce in omnibus careat, donec prædictam pœnitentiam, sine diminutione, compleuerit.

Si uero fratrem aliquem in priorem alicuius loci confirmauerit, qui nesciat distinctè legere breuiarium, et missale, aut promouerit, seu promoueri fecerit ad dictum officium, uel commiserit scienter, ex nunc promotionē huiusmodi uiribus uacuamus: uolentes, ut ipse promotor, ipso facto, usq; ad prouinciale capitulum, sextas ferias in pane & aqua ieiunet, deinde, usque ad quinquenniū, ad omnem curam animarum ineligibilis permaneat.

Apostatas uero alterius prouinciæ, aut fratrem alium, non habentem licentiam à suo prouinciali, nō recipiat, nec teneat, sine prioris generalis licentia speciali: si autem contrafecerit, abducetur a magistratu sine ulla dispensatione. Suos tamen apostatas, prouincialis citramontanus infra sex menses à die commissæ apostasiæ recipere poterit, salua tamen ordinis nostri disciplina: Vltramontanus autem prouincialis, suos tantum apostatas, salua ordinis disciplina, recipere poterit infra annum.

Fratres quoque de loco ad locum mutare, aut mittere, nisi pro manifesta, et euidenti necessitate, nō

debet:

debet: sed si contrafecerit, sex dies in pane et aqua, infra mensem à die mutationis, seu missionis prædictæ, sine dispensatione, ieiunet: et si dictos sex dies, sicut dictum est, non ieiunauerit, à proximo sequenti capitulo prouinciali usque ad aliud sequens prouinciale capitulum, ad omnem curã animarum ineligibilis permaneat.

Facta quoque uisitatione omnium locorũ de prouincia, in aliquo loco se mansurum constituat, ut fratres prouinciæ sciant, ubi eum inuenire possint, si causa eum requirendi contigerit; si tamen fratres ad eum uenire pro leui, et quasi pro nulla causa cognouerit, sic uenientes puniat, ut alijs detur occasio, et timor, non sic faciliter ueniendi ad eum. Ad uictum autem necessaria de eleemosinis & paupertate ipsius prouinciæ, cum omni charitate, priores et fratres locorum, ad quæ declinauerit, administrent.

De uno uerò uestimento, scilicet, cappa, uel tunica, secundum quòd eorum altero magis indiguerit, et de calciamentis, et scapulari, si necessitas id exposcat, et de chartis, et cera sibi à prouincia pro uidebitur.

Locum quidem non habebit proprium, nec prouincialis et conuentualis prior simul erit.

Quòd si lector ad prouincialatũ assumptus fuerit, etiam si legat, de prædicta prouisione penitus sit contentus.

Veniendi ad capitulum prouinciale nulli licentiã cõcedat, nisi forsitan frater aliquis iustã, et manifestam habeat causam, propter quã sibi necessariò prouiderit cõcedendũ, uel nisi prior, et fratres loci, in quo capitulũ ipsum celebrari debebit, pro utilitate ordinis, et ipsius loci, petierint aliquos fratres: in quo casu erit eorum petitionibus annuendum.

Ad capitulum uero generale cum illis tantum, qui de sua prouincia electi fuerint, ut ad ipsum capitulũ uadant, ibit, nulli alij eundi ad memoratum capitulum licentiã penitus cõcedendo.

Et quando ad præfatum capitulum uadit, uel aliàs extra prouinciã eum ire cõtigerit, fratrẽ unũ discretũ, et expertũ, et scientẽ ad minus sufficiẽter loqui latinè, in prouincia uicariũ relinquat, aliàs nullã autoritatẽ habeat in ipsa prouincia uicariũ statuẽdi, nisi de speciali licẽtia generalis.

Si autẽ extra prouinciam suã iuerit (quod facere pro leui causa non debet) morã ultra quindecim dies non cõtrahat, nisi negotium pro quo staret, tam arduũ esset, quòd sine magno prouinciæ periculo relinqui, uel alicui cõmitti non possit.

Prouincialis ergo, de cuius prouidẽtia, et fidelitate ordo confisus, administrationẽ, et regimen prouinciæ suæ discretioni, et fidelitati cõmittit, inter cætera ad augmentationẽ prouinciæ sibi commissæ, et locorũ promotionẽ, sollicitè et attentè uigilare debet, et ad hoc pro posse laborare, et priores ac alios fratres, ad idẽ inducere incessanter insistat. Fratrũ uero numerũ attentissimè, inquãtum sibi deus permiserit, accrescere, et priores, et fratres singulos, qui ad hoc utiles esse possunt, fideliter sollicitare non cesset.

Moneat sæpe insuper fratres, cum sæcularibus et religiosis modestè loqui, et eisdem honorem & reuerentiam debitam exhibere; interius et exterius, modestè et religiosè incedere; extra locũ habitum in dorso semper deferre intus et foris.

Ordo itaque experietur opere, quibus prouincias ordinis ampliandas, et augmentandas possit, & debeat confidenter cõmittere. Remouendi enim omnino à ministratione officij sunt, quorum opera augmentum ordinis non producunt ad lucem.

Habeat quoque prouincialis constitutiones, quas de bonis prouinciæ fieri faciat, et hoc idem prior conuentualis de bonis sui conuentus obseruet, et eas in omnibus operibus suis omni diligentia & studio in primis seruet, et cæteros ad illarum obseruationem efficaciter inducat, neque quouis mo

do in diffinitionibus capituli generalis dispensare præsumat: legem enim, quam prælatus non dicit obseruare, non potest alios, sine legis errore, docere.

Quod si prior prouincialis nostri ordinis constitutiones, et etiam quæ in capitulis prouincialibus secundum exigentiam temporum statuta fuerint, minus plenè seruauerit, et seruari non fecerit, infra annum à pratribus prouinciæ fiant querelæ, quæ ad patrem nostri ordinis generalem transmittantur, ut prouincialis huiusmodi eo quidem munere indignus deponatur, et à magistratu abdicetur.

Volumus insuper prouincialem ipsum de tota ratione administrationis suæ in libro prouinciæ descripta debere coram diffinitorio proprij capituli, uel à diffinitorio deputatis, calculos et supputationes, et quicquid ad id pertinet, reddere integrè.

Volumus præterea, ut nullus prouincialis aliquem fratrem exilio prouinciæ punire possit, siquidē id spectat, uel ad capitulum prouinciæ, uel ad patrem generalem: licentiam tamen exeundi à prouincia dare possit.

Si autem prouincialis prior (dei timore postposito) ita se habeat, quòd non sit amplius in ipso prouincialatus officio sustinendus, pro eo fortè, quod irreligiosè uiuit, uidelicet, quia constitutiones, et laudabiles ordinationes ordinis, quasi eas contemnendo, non seruat, nec eas facit per loca suæ prouinciæ, iuxta possibilitatem sui officij, obseruari, et legi; uel fortè quia turpibus, et illicitis quæstibus intendit: aut in ordine, seu in prouincia, aliqua ordinis schismata, et discordias nutrit, uel coniurationes, et conspirationes facit: aut fortè, per se uel per alium, arte, uel ingenio operatur, ut in ipso prouincialatus officio remanere possit: uel si probatos, et manifestos excessus alicuius, uel aliquorum fratrum, secundum instituta ordinis, non correxerit; uel si aliquem conuictū de aliquo notabili uitio, uel de quo, quasi publica, laborat infamia, in priorem conuentualium ex certa scientia confirmauerit. Si uerba quoque iniuriosa, uel contumeliosa, ex consuetudine fratribus dicere assuescit: aut si de crimine cuiuscunque uitij carnalis, per tres, uel saltem per duos fratres bonæ famæ, et opinionis, fuerit conuictus. Vel si infamia inter fratres, aut seculares publica prædicti uitij contra eum laboret. Aut de nimia frequentia alicuius in honesti loci, seu familiaritate inhonestæ personæ, apud fratres, aut seculares, infamatus notabiliter fuerit. Vel si munera, & dona non comestibilia, seu quocunque alio nomine censeantur, à fratre aliquo, uel conuentu, seu communitate prouinciæ, aut ab aliqua alia persona, eius uel eorum nomine, per se, uel per aliquam personam interpositam receperit, uel recipi fecerit. Vel si in oratorio et refectorio, post quàm tribus diebus in loco steterit, cum alijs fratribus, quasi continuus, sine manifesta et euidēti necessitate, non fuerit, absoluatur.

Si autem contingeret ipsum prouincialem infra annum ex hac uita decedere, aut alio aliquo canonico impedimento ita detineri, vt nullo modo posset exercere sui prouincialatus officium, uisitatores prouinciæ quàm citissimè patri generali id significare festinent: et intereà antiquior diffinitor capituli anni tunc proximè præteriti, qui superstes fuerit, totam prouinciam regat; et in huiusmodi prouinciæ cura, et regimine immediatè succedat, usque ad impedimenti huiusmodi cessationem, aut usquequò pater generalis super hac re aliter disposuerit.

Si autem tunc instaret tempus generalis capituli, in quo debet generalis prioris electio celebrari, ipse ad dictum capitulum ibit, uocem loco prioris prouincialis defuncti in omnibus habiturus.

De officio

De officio, et autoritate uisitatorum prouinciæ.
Cap. XXXV.

Visitatores quoq; cum omni maturitate et diligentia, ac æquitate, debent commissũ sibi uisitationis officium exercere, et solicitè cauere, ut in uisitando nil faciant, uel omittant, quod postmodum corrigatur in eis.

Horum officium est, omnes conuentus et fratres de prouincia, semel in anno, tempore quo eis cõgruum et oportunum uidebitur, uisitare: fratrumq; omnium, tam subditorum quàm priorum culpas, et excessus, secundum statuta ordinis corrigere: ita tamẽ, quòd in sua uisitatione ubiq; simul ire, et esse debeant, et quicquid ad suæ uisitationis spectat officium, totum mutua præsentia, deliberatione, consilio, et consensu perficiant, secundum ordinis instituta. Destituere autem, aut instituere priorem, omnino non possint, nisi secundum formam inferius assignatam.

Sequenti igitur, uel tertia die, postquàm ad locum peruenerint, quem ex officio suo uisitare debebũt, uisitationem incipiant, si fratres in domo fuerint, alioqui eos expectent, si eis uidebitur expedire. Factoq; sermone in capitulo, alter eorum nomine suo, et alterius, omnibus, et singulis fratribus, in uirtute sanctæ obedientiæ, et sub pœna excommunicationis præcipiat, ut ipsi fratres de omnibus, super quibus interrogati, aut requisiti fuerint, puram et apertam, remotis odio, timore, amore, prætio, et precibus, dicant ipsis uisitatoribus ueritatem. Deinde ipsi uisitatores singillatim inquirant in uirtute præcepti facti, ut si aliquid emendandum corrigendumq;, quod tolerari non deceat, nec debeat, sciuerint, uel audierint de priore, aut fratre alio, licet ex auditu solo (nisi esset fama publica) non sit procedendum ad pœnam: illud tamen debent ipsis uisitatoribus reuelare. Et in eiusdem præcepti uirtute singulariter, et priuatè inquirent à quolibet fratre, de priore, et de unoquoque alio fratre, scribentes ea, quæ sibi dicta seu reuelata fuerint, si forsitan casus aliquis fuerit adeò grauis, ut necesse sit, quòd multa habeatur deliberatio super eo, aut si promde oriatur contentio, habeant ipsi uisitatores scripta in libello, in testimonium, ut per ea ueritas elucescat.

Per hoc tamen non intendimus, quòd in correctionibus, et sententijs, in nostra religione faciendis; sicut in foro contentioso procedatur, sed simpliciter, et de plano, sola rei ueritate inspecta, et Deũ præ oculis habentes, secundum regulæ, et constitutionum nostri ordinis, ac diffinitionum eiusdẽ prouinciæ tenorem, procedatur: inhibentes, ne quis pro huiusmodi correctionibus, aut defensionibus, recursum habeat, ad iuristas, aut ad quasuis alias extraneas personas, etiam religiosas. Quòd si quis contrafecerit, pœnam grauioris culpæ per quindenam, sine aliqua dispensatione sustinere cogantur.

Si quis uero à processibus, seu sententiis, uisitationibus, aut correctionibus quoruncunque officialiũ nostræ religionis, indebitè appellauerit, ex nunc pro ut ex tunc, sic ineptè appellantem pœnæ carceris adiudicamus, inde non liberandum, sine capituli prouincialis, aut saltem ipsius prouincialis licentia speciali.

Postquàm igitur inquisitionem, de omnibus, quæ ad correctionem, et emendationem prioris, et omnium fratrum spectabunt, fecerint diligenter, hora, quæ eis uidebitur oportuna, capitulum congregabunt: & si in aliquo priore, uel fratre alio, aliquid inuenerint, quod corrigi debeat, & puniri, ipsimet eum in capitulo proclamabunt; ut si id confiteatur, non oporteat, ut ij per quos conuincendus fuerit, publicentur. Si uero tunc diffitebitur, tacito adhuc nomine

prædictorum legent (ipso, et alijs audientibus omnibus) quæ de eo inuenerint: si forsitan ipse audiens culpam suam, et modum culpæ, quam commisit, erubescat, et erubescentia, quæ adducat ueniam, confiteatur, testes non apperiantur: alioqui fratres illi, per quos conuincendus fuerit, surgentes, quæ dixerunt de eo uisitatoribus, coram omnibus dicant, ut conuictus, dignam pro suis culpis subeat ultionem.

Visitatores ijdem, si aliquem de fratribus inuenerint enorme aliquid commisisse, propter quod, de loco, in quo illud commisit, sit meritò remouēdus: puta quia suscitauerit schismata inter fratres aut contra priorem malitiosè se erexerit: uel extraneis secreta capituli reuelauerit: siue alicui personæ familiaritate coniunctus est, quam ipse deserere nō uult, et sine scandalo tenere nōpotest: seu crimen aliquod graue commiserit, per quod generauerit, uel generare possit scandalum in populo siue conuentus, aut fratrum loci turbare, uel impedire quietem: fratrem illum, qui huiusmodi est, prouinciali denuncient, ut inde remoueat ipsum. Et si scandalum talis fratris nimis inualescat, talem fratrē remouendū ad prouincialem cum suis literis transmittant.

Si autem casus requirat, priorem ab administratione officij ad tempus suspendere possunt: ita tamen, quòd propter huiusmodi suspensionem, uoce non priuetur in prouinciali capitulo, nisi præsidenti capituli uideretur priuatione dignus.

Si uero uisitatores ipsi ex rationabili causa post tempus, in quo eorum uisitatio durabit, moram in aliquo loco contraxerint, tam prior, quàm fratres loci eiusdem, eis, tanquam personis autoritatis, honorem exhibeant. Teneantur tamen ipsi uisitatores obedire prouinciali, saluo officio eis commisso, secundum ordinis instituta.

De quibus casibus uisitatores inquirere debeant.
Cap. XXXVI.

Diligenter quoque uisitatores de obseruātiis regularibus inquirant; et eas in omnibus, et singulis nostri ordinis monasterijs, omni diligētia, et studio, quoad fieri potest, ab omnibus (ut par est) inuiolabiliter obseruari procurent. Inquirant enim quomodo seruiatur infirmis, et eis, iuxta loci possibilitatem, de consilio medici, omnia necessaria tribuantur: quomodo omnibus et singulis fratribus de familia conuentus, prout cuique opus fuerit, à priore loci uictus & tegumentum, ut diuus pater in regula iubet, distribuantur: quomodo nouitij, et omnes fratres iuniores, in timore dei, et bonis literis, ad Dei cultum attinentibus, sedulò instruantur: et utrum fratres aliqui, aliàs quàm cum prioris discretio, ex causa forte, cum eis dispensat, alio quàm sibi concesso cibo utātur, aut solitum ieiuniū, sine causa rationabili, frangant: si benè silentium horis, et locis debitis teneatur: si debitus modus in collocutione, et uisitatione cum mulieribus seruetur: an aliquis aliquid proprium, idest, sine distincta illius rei notitia, et expressa licentia sui prioris habeat, aut etiam de scitu et licentia aliquid, quod careat honestate: in quo casu, neque ipsi uisitatores, neque ipse prouincialis id ullo modo permittant, aut tolerent, quoniam in eorum facultate non est id concedere, neque ex officio tolerare. Inquirant, utrum fratres conueniant ad capitulum, sicut debent, an aliqui in consuetudine habeant non interesse missæ conuentus, aut diuino officio: an omnes sacerdotes, in missarum celebratione, et omnes et singuli fratres in persoluendo diuino officio uniformiter se habeāt, et secundum morem Romanæ curiæ: et an prior solicitus et intentus sit ad promotionem loci, et diligenter inquirant, et uideant in quibus locum promouit, et utilitates, et meliorationes ecclesiæ, et

domorum

domorum, quæ suo tempore factæ sunt. Item si ecclesiam seu oratorium facit teneri mundum, & honestum; et in ijs quæ ad diuinum cultum pertinent, debito, et religioso modo ornata seruet, aut seruari faciat: præcipuè autem Eucharistiæ sacramentum, et oleum sanctum in ecclesia, iuxta formam statutorum nostri ordinis, et lampas die noctuq; ardens ante Eucharistiæ sacramentum reuerenter teneatur. Si libri ad dei cultum pertinentes sint correcti, et in sententia, et cantu sint concordes cum cæteris, quibus utitur ipsa prouincia. Si dormitorium, forestariam, et infirmariam, in cellis et lectisternijs tenet, aut teneri facit mundas. Si lampadem in dormitorio ardere facit singulis, et totis noctibus, secundum quòd constitutio præcipit eum obseruare, aut seruari facere. Si omnes horas diurnas et nocturnas, ut decet, deuotè dici facit. Si ordinem, et honorem ordinis feruenter diligit, et de eo aliud, quàm honorabile et honestum loquatur: et si fratres ad omnia obseruanda monet, et hortatur, et contrarium facientes solicitè increpat, reprehendit et corrigit. Et si inuenerint, quod iuxta tenorem constitutionum, in obseruatione prædictorum, se laudabiliter habeat, ipsum confortent, et honorent, et patri prouinciali intimè recõmendent. Et de omnibus alijs, tam de ijs, quæ secundum regulã et constitutiones nostri ordinis fieri mandõtur, quàm de ijs, quæ fieri prohibentur, diligens erit inquisitio facienda: ut quilibet siue non facienda fecerit, siue facienda omiserit, puniatur.

Si quis autem ex fratribus aduersus priorem aliquid corrigendum sciuerit, quod tolerari non debeat, inter se et ipsum priorem, cum charitate prius, et humilitate, ipsum admoneat. Quòd si prior neglexerit, aut contempserit se emendare, prouinciali seu uisitatoribus, cum ad eandem domum uenerint uisitandam, notificare procuret: uel diffinitoribus capituli, si per prædictos nõ fuerit correctus: aliter enim priores suos subditi infamare non præsumant.

Rursus quisquis, siue de priore, siue de fratre aliquo, sciens aliquid, quod uel in animæ eius periculum, aut religionis scandalum emergere possit, si eum non monuerit, aut si monitus ille neglexerit corrigi, si non indicauerit, uel accusauerit, ipse tanquam reus talis culpæ et criminis, pœnam sustinere, quam eadem culpa exigit, compellatur.

Solicitè quoque uisitatores inquirant, tam à prioribus conuentualibus, quàm à fratribus alijs, quomodo in prouincia prior prouincialis se habeat, maximè si recipiat munera, aut intendit quæstibus, uel schismata suscitet, siue coniurationes faciat, aut capituli, seu prioris Generalis mandata contemnat, aut aliquibus negocijs se implicet, quæ honestati ordinis non congruant. Et licet prouincialem non debeant corrigere, neque eius correctiones mutare, uel infringere, uolumus tamẽ, ut tam id, quàm aliud, quicquid per eos corrigi, uel reformari nõ poterit, illud totum fideliter prouinciali capitulo referre in scriptis debeant: ut per ea uicarius, et diffinitores ipsius diligẽtius corrigere, et reformare possint.

Munera quidem, uel munuscula, seu quodlibet aliud, ab aliquo priore, uel fratre subdito suæ uisitationis, uel à conuentu, seu ab aliqua persona pro eis, per se, uel per interpositam personã (preter procurationem, et subsidium quod dari consueuit) non recipiant. Quòd si quid receperint, receptis priuentur, deinde usque ad triennium ad omne officium cum cura animarum inelligibiles permaneant.

Præcepta autem uisitatorum in capitulo facta tam ad inquisitionem faciendam in uisitatione, quàm quo ad pœnitentias iniunctas obseruandas, firma et inuiolabilia permanebunt, ita ut ab eis nullus frater, præter prouincialem eiusdem prouinciæ, et patrem Generalem, autoritatem habeat absoluendi, nisi adimpleto tenore sententiæ, uel præcepti facti per prædictos: contrà quod præceptum, uel sententiam, siquis pertinax probabiliter fuerit, pœnæ grauioris culpæ, duobus mensibus sub-

iacebit. Et quod dictum est de præceptis uisitatorum, uolumus econuerso, per uisitatores, de præceptis prouincialis, ac præsidẽtis, et diffinitorum capituli, penitus obseruari.

Si autem ab huiusmodi sententia prouincialis, uisitatorum, uel præsidentis, et diffinitorum capituli, frater aliquis prior, uel subditus, fratrem aliquem de facto absoluere tentabit, uel eidem absolutionem ab aliquo impetrare procurauerit, præterquam a patre nostro generali, quia ex huiusmodi fraude rigor religionis conculcatur, et autoritas maiorum deluditur, et malorum iniquitas palliatur: cuiuscunque autoritatis sit frater ille, qui huiusmodi absolutionem de facto fecerit, uel faciendam procurauerit, ad omne officium, cum cura animarum ineligibilis, per quinquenniũ, permanebit.

Præterea, si consuetudo aliqua in aliquo loco nostræ religionis à regula uel constitutionibus inoleuerit aliena, ab illa præcipiant fratribus ibidem commorantibus de cætero abstinere.

De forma circa studia, et studentes, ac lectores nostri ordinis seruanda. Cap. XXXVII.

STudia tam generalia quàm prouincialia, in illis dumtaxat locis teneantur, quæ prior generalis pro temporum et locorum uarietate, et exigẽtia ordinauerit, inter quæ dignior semper, & principalior locus sit studio Parisiensi. Dicuntur autẽ studia generalia, ad quæ ex omnibus prouincijs, studentes mitti possunt, et ubi lectores sunt sacrosanctæ Theologiæ, Metaphysicæ, Naturalis phylosophiæ, et Dialecticæ: studia autem prouincialia, in quibus ex una tantum prouincia sũt studentes, et unus tantum lector logicæ.

Prouideat autem prior ipse generalis, ut in locis, quibus studia tam generalia quam prouincialia ordinauerit, prior loci, sicut honorem et statum ordinis diligit, sic studium solicitè, et ardenter foueat, et studentibus pius ac fauorabilis semper assistat; ad quod suos omnes conuentuales semper inducat, et hortetur, nec studium eorum obedientia aliqua, nisi omnino inuitus, et ineuitabili quasi necessitate compulsus, impediat.

Prouideat quoque idem prior generalis, ut in quolibet studio generali, sit unus magister sacræ theologiæ Regens, qui neque in eodem loco prior esse ulla ratione possit, neque aliud officium, pro tẽpore quo regens in studio generali fuerit, in ordine habere. Sit etiam unus Baccalarius, duo lectores, et unus magister studentium. Quòd si Baccalarius defuerit, sint tres lectores, quorum primus locum teneat baccalary. Præter uero istos prior generalis unum magistrum sacræ Theologiæ Biblicum deputare possit, in illis locis, in quibus suæ discretioni expedire uidebitur.

Magistri regentis officium erit, omnes, qui sunt de corpore sui study, ad bonos primum mores, uerbo et exemplo hortari: ad studium deinde unum quemq; excitare, ac diligenter curare, ut tam Baccalarius quàm lectores, ac magister studentium, soliciti sint ad sua munera exequẽda: ut etiã studentes ad studium, ac lectiones non sint pigri; quos frequenter examinare debet, ut de omniũ solicitudine, profectu, et moribus plenè instructus sit, tanquam de illorũ fructu redditurus priori generali rationem. Ad eius quoque pertinet officium, à die sancti Nicolai de Tolentino usque ad tempora uacationum, quæ fiunt ante quadragesimam, quotidie, præterquàm diebus dominicis, ac quintis ferys, duas lectiones legere, unam ex libris sententiarum Petri lombardi, aliam ex textu Aristotelis, seu Methaphysicæ, seu naturalis philosophiæ, quas easdem lectiones prosequetur post pascha, usque ad festum sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli. Eisdem quoque tempo-

ribus curabit, ut quotidianæ fiant disputationes; hyeme in theologia, æstate in philosophia post prã diũ, in logica post cænã, quibus õnibus disputationibus intersit, ac præsit, curetq; ut in qualibet proposita quæstione tria ad minus principalia argumẽta à studentibus adducta examinentur, præter ea quæ lectores in medium adducent; quibus examinatis, rectèq; solutis, determinabit ipse quæstiones, per debitas distinctiones, conclusiones, ac probationes. Magistro regenti cura incumbit distribuendi lectiones alias, ad utilitatem et captum studentium, tam Baccalario, quam lectoribus, et magistro studentium; qui cum omnibus studentibus magistro regenti honorem et obedientiam, absque ulla tergiuersatione, in omnibus quæ pertinent ad study dispositionem præstabunt. Quòd si quis contrafecerit, per priorem loci primum moneatur, deinde puniatur, tertiò è studio expellatur. Porrò præcipuum magistri regentis officium erit, suos studentes docere initium sapientiæ, hoc est, timorem Domini, ad diuinum cultum, horas scilicet canonicas, tam in choro quam extra, ad confessionem, ad celebrandum, ad pacem tam inter se, quam cum alijs fratribus de conuentu, seruandam, ad silentium, ad obedientiam priori exhibendam, suo exemplo, non solum uerbo, inducere. Nullam autem à lectionibus et disputationibus uacationem fieri permittet, præterquàm per uiginti dies ante quadragesimam, usque ad quindecim dies post pascha, et à festo sanctissimorum apostolorum Petri et Pauli usque ad diem sancti Nicolai de Tolentino.

Baccalarij munus erit, lectionem, quam sibi magister Regens iniunxerit, diligenter legere, & in disputationibus quotidianis, quæ in conuentu fiunt, respondentem modestè iuuare: similiter in ijs, quæ fiunt extra conuentum, magistro studentium, siue arguenti, siue respondenti adesse.

Lectorum officium erit, iniunctas sibi à magistro Regente lectiones, ad utilitatem suorum discipulorum prosequi, et eos de ipsis lectionibus, semel ad minus in hebdomada, examinare; in disputationibus arguentes iuuare, cum omni modestia, hoc ordine, ut primus scilicet lector primum arguentem, secundus adiuuet secundum. Liberum uero sit tam Baccalario quàm lectoribus, ante Magistri regentis determinationem, difficultates non tactas mouere, et ueras inquirere solutiones.

Magistri studentium erit officium, nouitijs studentibus rudimenta logicæ Pauli Veneti interpretari, eos quotidie examinare, et supradicta omnia rudimenta memoriter recitantes audire. In disputationibus, quæ fiunt in conuentu, si is, qui quæstionem proponit, theologiæ cursor non fuerit, pro eo respondere: si uero cursor theologiæ fuerit, secundo loco arguere: In disputationibus uero extra conuentum, tam arguere, quam respondere, ad ipsum solum spectabit, cum Baccalarij auxilio. Insuper sui muneris est curare, ut studentes matutinũ, quando surgere non tenentur, simul post completorium in capitulo deuotè, et reuerenter dicant. Solicitus denique sit, ut quæstiones disputandæ ordine debito à studentibus, et cursoribus publicentur, primum in loco ad id deputato scriptæ, ac, ut in fine prandij pro more patres inuitentur, demum, ut in loco disputationis, cum argumentis ad partes, ritè et congruè proponantur.

Si in aliquo studio generali, præter istos, plures fuerint baccalarij aut lectores, alij iuxta dispositionem magistri regentis, extraordinarias lectiones legent, et in disputationibus post ordinarios suas poterunt mouere difficultates. Nulla autem lectio, neque à baccalario, neque ab ordinarijs, aut extraordinarijs lectoribus legatur, sine licentia Magistri regentis; à quo uno, ne qua possit oriri confussio, omnes study actiones ordinandæ sunt, et regulandæ.

Magistri biblici officium erit, quotidie lectionem unam ex sacra scriptura legere, et ab eius lectione non uacare, nisi diebus, et temporibus supra expressis; ac in dominicis diebus, et alijs solemnibus festis hora disputationis consueta, super aliqua sanctarum scripturarum difficultate, non

per modum contentiosæ disputationis, quæ longe abesse à scientia salutis debet, sed per modum familiaris, et pij colloquij, circulum tenere, et post duas aut tres difficultates discussas, catholicam iuxta sanctos doctores determinare ueritatem.

Ad quodlibet studium generale, etiam Parisiense, quilibet prouincialis de consilio diffinitorum prouinciæ, unum studentem mittere possit, qui sit in grammaticalibus sufficienter instructus, et sacerdos: atque is, si talis fuerit, et literas cum sigillo prouinciæ signatas manu prouincialis, et diffinitorum detulerit, nullatenus reijci possit: reliquos uero studentes ad studia generalia mittere, solus prior generalis potest. sed neque qui à prouincijs mittuntur, neq; quos prior generalis destinauerit, pro studentibus habeantur, nisi prius coram priore loci, et toto studio, in capitulo, unã lectionem ex libris. M. Tullij Ciceronis per magistrum studentium sibi assignatam legerit, & uerbis latinis congruis interpretatus fuerit. Et quo die legerit præfatam lectionem, literas testimoniales suæ receptionis accipiat, subscriptas manibus prioris loci, magistri Regentis, Baccalarij, duorum lectorum, et magistri studentium. Caueant autem hi, sub pœna priuationis omniũ suorum graduum, ne quem recipiant in grammaticalibus non instructum, et sine hac præuia lectione. Caueant quoque prouinciales, et prouinciarum diffinitores, ne aliquem ad studium generale promoueant, qui non sit sacerdos, persona humilis, et uita ac fama laudabilis, ac nulla notabili infamia notoriè infamatus. Quod idem prior generalis obseruare teneatur.

Studentes omnes, quinquennio post suam receptionem, siue in loco sint, in quo recepti fuere, siue ad alium mutati fuerint, coram priore generali, quantum fieri potest, sin autem coram magistro regente, et examinatoribus à priore generali deputatis, ac toto studio, ad quinque ad minus conclusiones in logica, naturali philosophia, et methaphisica triduo respondeat: de cuius profectu, sufficientia, et moribus, magister regens cum examinatoribus certiorem reddat per literas, suis manibus signatas, priorem generalem, deposito omni amore, et odio, ac in solam ueritatem respicientes. Et tunc si priori generali uideatur, eos qui in dicto examine commendabiles inuenti fuerint, ac pro ingenij sui qualitate, profecisse, et nullis malis moribus cõtaminatos esse, in cursu theologiæ collocare poterit, et cursores instituere: ad quorũ officium pertinebit, in quotidianis disputationibus, cum eos respondere contigerit, absque auxilio magistri studentium, sub bacealario respondere, et argumenta ab inferioribus studentibus proponenda uidere prius, et postquàm proposita fuerint assumere, et roborare. Qui sic promoti ad cursum theologiæ, nihilominus magistro studentiũ in omnibus, quæ ad suum officiũ pertinent, obtemperabunt.

Post hãc primam promotionem, cum priori generali congruum tempus uidebitur, quod nõ minus regulariter esse debet, quàm triennio post adeptum cursoratum, se præsente si fieri possit, sin autẽ, examinatoribus cum magistro regente institutis, mandet à cursoribus suos actus pro lectoria perfici, hoc pacto: per magistrum regentem ac examinatores, tres cuilibet cursori assignabuntur lectiones, una in textu philosophiæ naturalis, uel Methaphisicæ Aristotelis; altera in primo, uel in secundo sententiarum, tertia in tertio, uel quarto sententiarum, ac biduo post, assignatas lectiones legent in capitulo, coram examinatoribus, et toto studio: primo die primam, ac deinceps alias; deinde alio immediatè sequenti triduo, ad conclusiones respondebunt ex lectionibus deductas, quæ non pauciores sint quàm decem, arguentibus primum magistro regente, et examinatoribus ordinatè, deinde omnibus alijs, usque ad ultimum cursorem. Demum per magistrum regentem et examinatores, literæ ad priorem generalem, de profectu, sufficientia, et moribus mittantur, ut prius dictum est, et si priori generali uideatur, lectoriæ gradum sibi conferre poterit.

Eadem forma ad lectoriam magistri studentium promoueantur, sed ab his actibus liberi tantũ

per

sint, qui in capitulis generalibus disputauerint, atque ibidem ad lectoriam promoti fuerint. Tẽpus autem examinandi tam studentes pro cursoratu, quam cursores pro lectoria, sit à quintadecima die Augusti, usque ad octauam Septembris, et non aliud.

Qui in lectoria munus suum diligenter, et cum profectu discipulorum obeundo exercitati fuerint, cum priori generali uidebitur, ad baccalariatum primùm promoueantur, deinde ab eodem priore generali, si potestatem a sanctissimo domino nostro habuerit, magistri in sacra theologia creẽtur, alioqui licẽtientur ad suscipiendum gradum in probata aliqua doctorum theologorum facultate, quæ in literis licentiæ nominetur. Quæ promotio, aut licentia non concedatur, nisi ys, qui supra memoratum cursum sine intermissione perfecerint, et tam literis quàm uita fuerint sanctimonia conspicui. Alia autem quacunque ratione creatos theologiæ magistros ordo noster non ognoscat, nec pro magistris habeat, quin et eos qui hac ratione magistri creati fuerint, si extra ordinem sine prioris generalis licentia, quomodocunque manserint, omnibus suis gradibus priuati, præsenti constitutione, ipso facto intelligantur, quos sibi restituere, ne ipse quidem prior generalis possit, nisi de consensu diffinitorum capituli generalis, nemine discrepante.

Vt autem omnis confusionis, et discordiæ materia, in nostris studys generalibus deuitetur, statuimus, ut qui prius promoti fuerint, ad quemcumque gradum, priorem habeant locum in quocunque studio fuerint collocati; similiter qui prius recepti in studio sunt, priorem habeant locum posterius receptis, etiam si de uno studio ad aliud mutari eos contingat, nisi, propter aliquem excessũ, suo loco priuentur à priore generali. Si autem duos contingat simul fuisse promotos, aut receptos, ille priorem teneat locum, qui prior est in ordine, uel professus, uel pro nouitio receptus. Qui uero propter aliquam culpam de studio ad studium mutatur, si graduatus sit, ultimus sit eorum, qui in eodem gradu sunt, si studens ultimus sit omnium studentium, et habeatur, ac si tunc de nouo receptus ad studium fuisset, quo ad primi quinquenij numerationem.

At uero ut uniformitas in ordine nostro, quo ad studia quoque et doctrinam, quemadmodum quo ad alia, quoad fieri potest custodiatur, uolumus ut magistri regentes, baccalary, et lectores, in lectionibus et determinationibus disputationum, in omnibus sequi, et tueri debeant doctrinam primi doctoris nostri Egidy Romani, tam in artibus, quàm in theologia: ubi uero præfatus doctor non scripsit, in theologia quidem tueantur, et doceant secundum doctorem nostrum Thomam de Argentina: in artibus uero sécũdũ doctorẽ nostrũ Paulũ Venetum. Liceat autem exercity et disputationis gratia, sustinere in publicis disputationibus opiniones aliorum doctorum nostrorum, Gregory Ariminensis, Gerardi Senensis, Michaelis de Massa, Alfonsi Toletani, Augustini Romani, Augustini Anconitani, et aliorum, quorum scripta in communibus seruantur bibliothecis. Magistri uero biblici, in sacrarum literarum interpretatione, nihil asserere audeant, quod à doctrina discordet sanctorum ecclesiæ doctorum: nihil item, quod à decretis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et sanctorum conciliorum, ab ea approbatorum.

Priores locorum, in quibus uigent studia generalia, non cogant magistros regentes, neque magistros biblicos, neque baccalarios, aut lectores, aut magistros studentium, nisi ad missam conuentualem quotidie, atque ad orationem serotinam; et diebus festis ad uesperas quoque; insuper diebus communionis sacræ etiam ad matutinum. Qui nisi frequenter celebrent, per priores moneantur, ac si monitiones neglexerint, priori generali significare teneantur, sub pena priuationis officij, et uocis actiuæ, ac passiuæ per quadriennium. Studentes uero unà cum cursoribus cogantur, diebus quoque dominicis, et festis omnibus solemnibus, ad matutinum surgere, ac quotidie primis et uesperis adesse. Debet autem prior negligentes ad hæc punire, et illos qui tempore officy, cui non

tenētur adesse, studio non intendunt, sed uagantur, exemptionibus debitis priuare; et omnes frequenter ad Dei cultum et timorem hortari, et non permittere, ut aliquis de corpore study, quicūquè ille sit, plusquàm per mensem in tempore uacationum à studio absit, nisi forte tempore tantū quadragesimæ ad prædicandum missus fuerit.

Sed ut iuxta paupertatem ordinis studentes in studio se sustentare, et proficere possint, neque librorum aut aliarum rerum penuria studia relinquere cogantur, præsenti constitutione, decernimus inuiolabiliter seruari, ut studentibus omnibus, donec ad lectoriam promoti fuerint, priores conuentuum, in quibus professi fuerint, mittant ante festum omnium sanctorū scutos aureos duos; prouinciales uero, de quorum prouincia fuerint, scutū aureū unū, priores uero locorum study, in quibus assignati fuerint, scutos aureos tres. Qui uero præfato tempore hæc subsidia studentibus non soluerint, officys, et uoce actiua et passiua, per quadriennium priuentur. At uero studentes, qui infra annum ex sua culpa ab uno loco in alium mittuntur, nihil à loco unde discedunt accipiant.

Studentes antequàm ad lectoriam promoti fuerint, in nulla electione uocem, neque actiuam habeant, neque passiuam. Lectores uero et baccalary, in omnibus quæ fiunt per capitulum loci, in quo assignati sunt, uocem habeant, et in electione prouincialium illius prouinciæ duntaxat, in qua legunt.

De prouincialibus uero studys decernimus, ut prior generalis in illis unum magistrum regentem deputet, studentes uero in eis assignare ad prouincialem, & diffinitores prouinciæ pertineat, ex ipsa prouincia. Illi uero qui biennio in studio prouinciali steterint, et ad studium generale mittuntur, triennio post suam receptionem pro cursoratu examinentur.

Per hanc autem de studiorum, aut studentium, ac lectorum forma constitutionem, nihil derogare intendimus priuilegys study parisiensis, neque de forma promotionis illius almæ et cæleberrimæ facultatis quippiam immutare, modo magistri in ea promoti ordini obediant, et regentem iuxta antiquam consuetudinem, ad capitulum generale mittant, et in omnibus obedientiam priori generali præstent. Quòd si quis contrafecerit, non solum pro magistro non habeatur, sed tanquam anathema à reliquis parisiensibus, et omnibus deuitetur. Aliorum autem studiorum tam ultra quàm citra montes promotiones, nisi de licentia prioris generalis factæ, nullæ sint, in quacunque fiant uniuersitate. Et si qua per priores generales, uel capitula quoq; generalia, priuilegia contra hoc concessa fuerint, præsenti constitutione abrogantur.

De forma circa promouendos ad sacerdotium, ad audiendas confessiones, & ad prædicandum uerbum Dei seruanda.
Cap. XXXVIII.

AD sacerdotium, et confessiones audiendas, nullus frater nostri ordinis promoueri possit, nisi examinatus, uel immediatè per priorem generalem, uel per prouincialem et diffinitores eius prouinciæ, cuius est frater promouendus, et inuentus bonæ famæ, et scientiæ competentis, ac, si ad sacerdotium promouendus sit, ætatis annorum uiginti quatuor, si ad confessiones audiendas, ætatis annorum triginta ad minus.

Vt autem huiusmodi promotio ad idoneas solum personas extendatur, et conformis sit priuilegys à sede apostolica ordini nostro indultis, uolumus et ordinamus, ut uisitatores prouinciæ, et qui à

priore

priore generali mittuntur tempore uisitationis, in singulis conuentibus diligenter inquirant de fratribus ad sacerdotium, et audientiam confessionum promouendis, ac etiam promotis, eosq; diligenter examinent, quatenus eorum informatione pater generalis, uel prouincialis, ac diffinitores prouinciæ idoneos tantum ad sacerdotium promouere possint, et audiendi confessiones, absoluendi confitentes, et iniungendi eis pœnitentias salutares officia, iuxta formam iuris, et priuilegiorum nostrorum tenores committere ualeant, ac indignos deponere.

Nullusq; alius, qui non sit præuia examinatione præfata, iuxta priuilegiorum formam, ad audiētiam confessionum electus, et deputatus, sæcularium, aut religiosarum quaruncunque personarū confessiones audire præsumat, etiam si à proprio priore cum autoritate ordinary episcopi, de facto, ad huiusmodi officium promoueretur: ac etiam si sæculares, uel religiosæ huiusmodi personæ eligendi sibi confessorem facultatem haberent: contrafacientem uerò superiorem, prioratus ac officy sui suspensione mulctamus, irritam nihilominus promotionem huiusmodi decernentes, fratrem uerò subditum contra præsentem ordinationem, imò, uerius contra iuris dispositionem, ad audientiam confessionum huiusmodi temerè se ingerentem, usque ad tres annos tunc futuros, & donec cum eo fuerit, per priorem generalem dispensatum, ad huiusmodi officium suspensum, & inhabilem esse decernimus, et declaramus.

Decernimus insuper, ac omnino seruari uolumus, quòd omnes qualescunque huiusmodi promotiones, sacerdotum uidelicet ac confessorum, à prouinciali sub pœna priuationis sui officy, suis distinctis ordinibus, in libro prouinciæ distinctè, et suo tempore annotentur: hoc idem et de alys fratribus ad alios inferiores sacros ordines ordinatis fieri uolumus: quibus tamen ipse prouincialis, etiam non requisito consensu diffinitorum prouinciæ, licentiam dare possit, ut de consensu prioris, ac patrum de capitulo conuentus, ad inferiores sacros ordines promoueri possint, modo tamen legitimæ ætatis, ac bonis moribus imbuti fuerint, atque distinctè legere, et cantum firmum canere sciuerint, et non aliter.

Ad prædicandum uerò diuinum uerbum nemo accedat, nisi iuxta apostoli doctrinā, missus per obedientiam fuerit. Mitti autem neque à prioribus localibus, neque a prouincialibus nullus possit ad prædicandum, nisi promotus à priore generali ad gradum lectoriæ prius fuerit, aut baccalarius, aut magister. Aly uerò fratres, quantuncunq; docti, si ad gradum lectoriæ promoti non fuerint, nisi præuia examinatione, et approbatione per priorem generalem, uel prouincialem, et diffinitores prouinciæ specialem super hoc à priore generali potestatem habentes, mitti nullatenus ualeant. Si quis autem, contra præsentem constitutionem, aliquem fratrem ad prædicandum mittere præsumpserit, omni gradu et dignitate ordinis, uoce insuper actiua et passiua, usque ad dispensationem duorum capitulorum generalium, priuatus existat. Si quis uero non præfata ratione promotus, nec missus, per se ad prædicandum iuerit, pœnæ carceris per sex menses adiudicetur: singulis quartis, et sextis ferys, in pane et aqua disciplinatus ieiunet, et ad prædicandi munus, nunquam amplius promoueri possit

Fratres uero cuiuscunque gradus, et conditionis existant, ad prædicandum non mittantur, sine licentia in scriptis illorum superiorum: quibus huiusmodi licentias concedendi, prior generalis facultatem fecit, cum quibus, si in ecclesiis ordinis prædicaturi sint, prius episcopis aut locorum ordinarijs se præsentent, et ab eis prædicandi benedictionem accipiant, si uero in ecclesiis parrochialibus presbiterorum eos prædicare contigerit, in primis ne dum benedictionem, uerumentiam, et expressam licentiam ibidem prædicandi obtinere cogantur. Forma autem licentiæ hæc erit.

Cum te doctrinæ sonæ, probatæ, et catholicæ, uitæ quoque probitatis, et integritatis amantem hactenus cognouerimus, in eam spem adducti sumus, ut sis non modo in eo quod cæpisti perseueraturus, sed etiam ardentiori animo acturus ididem, et aucturus. Eamabrem, tenore præsentium, et autoritate Reuerendissimi Patris Generalis, per literas publicas nabis commissa, potestatem tibi facimus in nostris ecclesiis, et alienis etiam, si Reuerendissimorum Episcoporum, in quorum diœcesi fuerint ecclesiæ, licentiam habueris, prædicandi. In nomine patris, et fily, et spiritus sancti, Amen. Hortamur uerò te, quantum possumus in domino, et monemus, ut Deum præ oculis habeas, ad solam ipsius gloriam, et populi salutem spectes: scandala item, errores, et omnem hæresim, imò uel leuem hæresis suspitionem, prædicando euites. Quod per te facile fiet, si puram Euãgely doctrinam, ad sanctorum patrum, et conciliorum, præsertim Tridentini decreta conyciens oculos, expasueris: neque in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, et uirtutis prædicaueris, ut sit sermo tuus, et prædicatio tua, non in sapientia hominum, sed in uirtute Dei. Cum hac nostro uenia, quæ tibi pro hoc duntaxat anno exhibetur, Reuerendissimum Episcapum, in cuius diœcesi te prædicare contigerit, ipsum reuerenter salutaturus adibis, et benedictionem ab eo petes, qua petita, prædicare incipies. Dat. etc.

Omnibus etiam et singulis nastri ordinis prædicatoribus, similiter et alys quibuscunque fratribus cuiuscũque gradus et cõditionis extiterint, præcipimus in meritũ salutaris abediẽtiæ, ac sub excõmunicotianis sententio, quã trina canonica monitiane præmissa ex nũc prout ex tũc in his scriptis ferimus, ne quispiã illorũ librũ aliquẽ martini lutheri, aut aliorũ quorũcunque hæreticorũ, cuiuscunque fuerit lectionis, penes se quouis modo retinere audeat, eiusùe aut illorum scripta legere, aut dogmata palòm, aut clàm in camera quouis modo defendere, uel declarare, seu de eius, out illorum opinionibus, conclusionibus, sententys disputare, colloqui, aut quouis pacto conferre: quòd si quis ob hanc causom extra ordinem notatus fuerit, his modis quòd Romæ apud summum Pontificem, seu alios prælatos denunciotus sit, tanquam infectus uel suspectus de hæresi, uel coram legato, uicario, aut inquisitore uocatus, in nullo nostri ordinis monasterio recipiatur, et qui prouincialis fuerit, eum in prouincia sua sub pœna priuationis officy morari non permittat, et hoc ipsũ præceptum et pœnam ad priores quorumcunque locorum, etiam generalium, nostri ordinis extendi uolumus. Decernimus igitur, et mandamus, sub pœna perpetuæ priuationis officy prædicandi et legendi, ut prædicatores, et lectores in concionibus et lectionibus suis, sic sanctè, purè, et pensatè dicant, ut nulla penitus egeant, ipsorum causa, purgatiane, quaprapter nullo quouis modo aliquid contra catholicam sententiom astruant, out innuant, nec etiam ut saluenda adducant argumenta, quæ in contrarium fieri possent, sed elarè, apertè, et distinctè sententiam orthodaxæ fidei proferant, et sua prædicatione, aut lectione, aperto marte astendant, se contra hæreticos omnes præcipuè lutheranos, firmiter sentire, in omnibus, et singulis quibuscunque, id quod sancta Romana Ecclesia sentit, docet, prædicat, et obseruat. Quadere neque opprobrys religiosos, aut religionum statum, uel sacrosanctæ Romanæ Ecelesiæ prælatos afficiant, aut reddant laicis despectos, & odiosos, sed in suis prædicationibus, et lectionibus (ut decet) omnium religiosorum et ecclesiasticorum prælatorum statum, omni cum modestia et ueneratione laudent, & commedent: moneantquè populũ, et hortentur, quando eis uidebitur expedire, ut in iuribus parochialibus, suis respondeant prælatis.

Inter cætero uero, quæ prædicatoribus mandamus, hæc pauca duximus adnotanda, scilicet, ut de cõfessione prædicent, et theologos imitati eam de iure diuino esse ostendant, de purgatorio quoque, de indulgentys, & de autoritate summi Pontificis, de inuocatione sanctarum dèque ueneratione

imaginum

imaginum nudè, et apertè uerba faciant, de meritis, de iustificatione, de suffragijs defunctorum catholicè tractent.

Eleemosynæ uerò omnes, et quacunque ratione oblatæ pecuniæ, uel sacerdotibus, uel confessoribus, uel prædicatoribus, à quibuscunque personis, eo ipso die, quo offeruntur, priori loci reddantur, ut secundum eius discretionem, in communem usum distribuantur. Quòd siquis eas occultare, et apud se retinere deprehensus fuerit, iuxta sanctissimi patris Augustini regulam, furti iudicio condemnetur. Sub illius autem prioris obedientia prædicatores esse intelligantur, a quibus etiã propter excessus, secundum ordinis instituta corrigi possint, qui conuentui præest ciuitatis uel oppidi, in quo prædicauerint. Qui uerò in loco in quo cõuentus nõ est nostri ordinis prædicauerit, priori subsit loci proximioris.

De libris habendis ad usum chori.
Cap. XXXIX.

NEgligentia sanè, et perfidia aliquorum, qui damnabiliter desiderant, & appetunt præesse potius, quam locorum opportunitatibus, et indigentijs subuenire, loca plura nostræ religionis, ex nimia paupertate, et nuditate librorum, paramentorum, calicum, et aliarum rerum, quæ ad diuinũ cultum, et ornatum ecclesiæ, et loci religionis pertinent; sunt omnino populo in derisum. Igitur uniuersis prioribus nostræ religionis strictè præcipimus, et mandamus, ut quilibet ex eis pro posse solicitè studeat, & procuret, ut in loco sui prioratus sit adminus unum bonum missale conuentuale, et duo pro missis uotiuis, unum bonum epistolare, et duo bona antiphonaria, scilicet diurnum et nocturnum: et unum sequentiale, et unum ordinarium secundum ordinem nostrum, et hymnarium notatum, saltem in primo uersu, et adminus unum bonum psalterium ordinatum, et unum manuale, seu collectarium competentis uoluminis, in quo sint orationes omniumhorarum, et capitula totius anni. Et in tali libro hebdomadarius in choro existens uideat suum capitulum, et debitam, seu debitas orationes dicat. Item habeat duos calices de argento adminus, et in alio calice, quàm de argẽto, nullo modo frater aliquis sacrificet, nisi forte quandòquè ex casu hoc uitare sine scandalo non possit. Item unum lectionare, in quo de nocte legantur lectiones debitæ, secundum rubricam officij, & usum Romanæ curiæ, quem tenet, et obseruat ordo noster. Item habeat regulam beati Augustini expositam per Hugonẽ de sancto uictore. Item constitutiones ac diffinitiones ordinis.

Prior insuper antequàm officium prioratus relinquat, uel remoueatur ab eo, libros prædictos omnes diligenter, et solicitè corrigi, et punctari faciat ad exemplum aliquod bonum, et uerax: quod prior prouincialis de quocũque loco loco prouinciæ sibi ad requisitionem suam accõmodari faciat, si aliàs non potest tale exemplum commodius inueniri. Et hæc faciant prior prouincialis, et uisitatores inuiolabiliter, cum debitis pœnitentijs, à singulis prioribus obseruari. Quòd si ipsi hæc obseruari non fecerint, per generalem, uel prouincialem sibi in officio succedentem acriter puniantur.

Pro posse denique studeat prior ipse, ad commoditatem prædicatorum in ipso loco existentium, habere Bibliam cum glosa ordinaria, et Legendas sanctorum, et alios etiam libros prædicatoribus necessarios, secundum loci possibilitatem, qui libri semper seruentur ad commoditatem prædicatorum, copiam librorum non habentium.

Verùm, ne ea quæ prudētia et fidelitas unius probi uiri, aut plurium cum labore et solicitudine ad opportunitatem unius loci nostræ religionis muenerint, alÿ minus fideles, et soliciti, negligēter et damnabiliter dilapident, et disperdant:uniuersos, ac singulos nostræ religionis fratres, tam subditos, quàm superiores, præsentes, et qui pro tempore fuerint, primò, secundò, et tertiò monemus, eisqué in uirtute sancti spiritus, et sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam ex nunc prout ex tunc in contrafacientes ferimus in his scriptis, et quam eo ipso incurrere uolumus, districtè præcipiendo prohibemus, ne librum aliquem ad usum chori, aut bibliothecæ cōuentus deputatum, aut qui in posterum fuerit deputatus, nec calicem, uel argenteam crucem, aut ecclesiastica paramenta, uel alia mobilia ecclesiæ pretiosa, uendere, impignorare, uel quocunque alienationis titulo obligare præsumat, nisi fortè habeatur prius à prouinciali, aut diffinitoribus capituli, licentia specialis in scriptis, quæ prius in capitulo coram toto conuentu legatur, ut in alia similia, uel meliora conuertantur, aut in aliquod aliud bonum immobile, pro ipsius monasterÿ magna et euidenti utilitate:contrafacientes autē, ultra prædictam pœnam, in quam ipso facto se nouerint incurrisse, per duos menses pœnæ grauioris culpæ omnino subiaceāt, et uoce actiua et passiua careant, usquequò cum eis per priorē generalē dispensetur.

Prouincialis quoque, ut de præmissis, uel de alÿs rebus, prioris, uel aliorum fratrum solicitudine acquisitis, uel eius uel alicuius eorum desidia dispersis, et distractis, cognitionem plenam habere possit: tempore uisitationis in omni loco diligentem inquisitionem faciat, et ipsas res personaliter cum alÿs fratribus uideat, et cum inuentario de rebus ipsis facto conferat:et si quid inuenerit de rebus prædictis distractum, uel alienatum, alienātem modo predicto corrigat. Quòd si prædicta Prouincialis omiserit negligenter obseruare, uisitatores, qui etiam de hoc habent diligenter inquirere, et inuestigare, priori generali, si in illis partibus est, alioqui diffinitoribus capituli prouincialis significent, ut ipsi pœnam condignam iniungant, quam, sine aliqua diminutione, obseruare cogatur.

De forma celebrationis generalis capituli ordinis nostri. Cap. XL.

Generale capitulum nostri ordinis de quadriennio in quadriennium omnino fieri uolumus et mādamus, loco et die determinatis per diffinitores præcedētis capituli generalis.

Et ne numerus ac multitudo fratrum ad ipsum capitulum cōuenientium, cōfusionē pariat, statuimus ne ad huiusmodi capitulum cōueniant nisi uocales:uidelicet reuerendus procurator nostri ordinis in Romana curia, prouinciales omnes, ac uicarÿ congregationum nostri ordinis, similiter et diffinitores ac discreti ipsarum prouinciarum, et priores cōuētuū generalium. Magistri etiam sacræ theologiæ qui uoluerint, uenire possint, et qui à patre generali aduocabuntur, aut acceperint facultatem ueniendi.

Volumus autem, ut prouinciarum, aut congregationum suffragia laturi, ad huiusmodi generale capitulum non destinentur, nisi probitate, grauitate, consilio, et doctrina insigniores, et, causa lōgi itineris, aliquantulum robustiores.

Statuimus prætereà, et præcipimus firmiter obseruari, ut unaquæque prouincia nostri ordinis, & congregationes quoque omnes adminus mittant unum diffinitorem ad generale capitulum, alioqui qui prouinciæ uel cōgregationi non mittēti præest, siue prouincialis fuerit, siue uicarius generalis,

ralis, sit ab officio, ipso facto, absolutus, et insuper excommunicationis sententiam incurrat, quam præsenti constitutione, ex nunc prout ex tunc, trina canonica monitione præmissa, ferimus, à qua nisi à priore generali, si quis eam incurrerit, absolui non possit.

Si uerò qui ad capitulum missi fuerint, ex infirmitate, uel aliquo alio casu impediti fuerint in itine re, ne ad locum capituli peruenire possint, statuimus, ut nihilominus fratres, qui ad capitulum ipsum conuenerint, etiam si fuerint absentibus pauciores, ipsum capitulum possint, et debeant ce lebrare: et quicquid in ipso capitulo ordinatum, uel statutum fuerit, uniuersitas ordinis, per omnia seruare teneatur.

Si autem capitulum ipsum generale celebrari debeat die Dominico, uel in aliquo solemni festo, duplici, uel semiduplici, omnes, et singuli prædicti fratres uocales, triduo ante diem festũ, in quo capitulum est celebrandum, simul debeant ad locum capituli, communis omnium fratrum procurandæ salutis causa congregari, ad dictum capitulum celebrandum; quo etiam die missa de spiritu sancto celebretur, ut in capitulo de modo celebrationis capituli prouincialis mandatum est.

Die uerò sequenti, post uesperas, ad sonum campanellæ ter pulsatæ, ut moris est, omnes fratres tam uocales, quàm non uocales ad capitulum, uel aliò, ubi decenter esse possint, conueniant, quibus considentibus, prior generalis dicat. Ver. Adiutorium nostrum etc. Resp. Qui fecit cælum et terram. Ver. Benedicite. Resp. Deus. Ver. Dominus nos benedicat, et ab omni malo nos defendat, et ad uitam æternam perducat, et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Resp. Amen. Deinde uerbum habeat aliquod opportunè.

Quo expleto, inquirat ab omnibus, et singulis fratribus in capitulo, imò omnibus et singulis in uirtute sanctæ obedientiæ præcipiat, ut si quis illorum literas haberet Sanctissimi Domini Nostri Papæ ad capitulum directas, eas protinus ostendat, et legendas assignet, hoc autem præceptum, si literæ non ostendantur, paruo temporis interuallo ter successiuè fiat, tertia uice sub pœna excõmunicationis præcipiendo.

Si uerò quispiam huiuscemodi literas præsentauerit, uolumus & decernimus, ut illæ ab omnibus debita cum ueneratione, ut decet, suscipiantur, et ibidem in capitulo coram omnibus publicè legantur, eisq; ut decet in omnibus obediatur; et si uirtute illarum literarum aliquis illius generalis capituli præsidens institutus fuerit, is ab omnibus cum ueneratione pro præsidente habeatur, & præsidentis fungatur officio, cum tanta autoritate, quantam Sanctissimus Dominus noster Papa sibi concesserit, cuius mandatis tanquàm Dei, et Domini nostri Iesu Christi Vicarij, ordinis nostri fratres omnes, tam in capitulis, quàm extra, obedire tenentur.

Si uerò huiusmodi literæ, aut nullatenus, aut tempore debito, & publicè et efficaciter præsentatæ non fuerint, prior generalis diffinitorem designatum pro generali capitulo ab ea prouincia, in qua capitulum celebratur, inquirat, quem compertum pronũciet in tali casu esse capituli tunc celebrandi, autoritate ordinaria præsidentem: et statim qui præsidens nominatus fuerit, à patribus circa ipsum sedentibus ad titulum capituli deductus, superiore loco sedeat, ante quem prior generalis statim genua flectens, in signum obedientiæ et reuerentiæ manum ei reuerenter deosculetur, postea surgens ad sinistram patris præsidentis sedeat, et post eum ordinatè sic faciant omnes fratres successiuè. Præsidens, si sibi uideatur, obedientia accepta sermonẽ habebit, dicto Adiutorium nostrum et c. ut supra.

Deinde, de patrum, et præcipuè prouincialis prouinciæ, in qua capitulum celebratur cõsilio, duos deputabit diuini cultus magistros, sine quorũ, aut alterius eorũ licẽtia, nemo domũ exire præsumat, quibus fratres omnes obedire teneantur in omnibus, quæ ad diuinũ cultũ pertinẽt, tum quo

ad horas canonicas, quàm quo ad missas celebandas.

De eorundem quoque consilio, tres deputabit iudices causarum, qui omnes controuersias litigiosas audient, et sola rei ueritate inspecta dyudicabunt, omnes suas decisiones in uno libro scribentes, in cuius fine omnes tres manu sua subscribent; à quorum sententia nulli post capitulum dimissum liceat appellare, nisi forte ab sens, et non auditus fuisset.

Deputabit quoque cum eodem consilio tres examinatores literarum testimonialium, quas diffinitores et discreti a suis prouincys attulerunt, qui omnem controuersiam exortam de habentibus uocem tam actiuam, quàm passiuam, secundũ ordinis constitutiones diriment: et uota deficientia suppleant ex antiquioribus patribus, capitulo præsentibus, ita quòd si una uox desit, illam suppleat antiquior pater, qui in capitulo fuerit, alioqui non habens uocem: si duæ, duo antiquiores, similiter quotquot deesse contigerit.

Deputabit etiam, non absq; eorundem consilio, decem correctores, quorum duo deseruient diuini cultus magistris, duo iudicibus causarum, duo diffinitoribus, quatuor, qui omnia ad uictum necessaria prouideant, ac mensæ lectores, et seruitores deputent, et fratribus de capitulo hospitium, et refectionem assignent.

Denique fiat confessio in communi, et data absolutione, pro more, à præsidente, cum iniunctione, ut die sequenti omnes missam de spiritu Sancto celebrent; dicat præsidens, Adiutorium nostrum etc. Et sic egrediantur de capitulo.

Die sequenti, cantetur missa da spiritu Sancto, post quam ad sonum campanellæ ter pulsatæ congregentur omnes ut supra. Et facto signo à patre præsidente, correctores diuini cultus in medio stantes hymnum incipiant Veni creator spiritus, omnibus ad illas tres dictiones genuflexis, qui postea surgentes alternatim ex utroque choro, totum hymnum decantent cum finali uersu. Laus patri sit ingenito, eiusque unigenito, unà cum sancto Spiritu, in sæculorum sæcula. Amen. Deinde Ver. Emitte spiritum tuũ et creabuntur. Resp. Et renouabis faciem terræ. Deinde Pater præsidens in cantu dicat. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Deus, qui corda fidelium, sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem spiritu, recta sapere et de eius semper cõsolatione gaudere. Per dominũ, etc. Oremus. Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni, et adiuuando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te sẽper incipiat, et per te cœpta finiatur. Adesto supplicationibus nostris omnipotẽs deus, et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedẽte beato Augustino confessore tuo, atque pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amẽ.

Deinde sedentibus omnibus, dicat præsidens.. Ver. Benedicite; et responso ab omnibus, Deus, fiat sermo in communi, quem faciat procurator ordinis, uel alius de mandato eius, suscepta prius à præsidente, si maior prælatus ibi non fuerit, benedictione. Finito quoq; sermone, obitus fratrũ familiarium, propinquorum, et benefactorum ordinis nostri, in ipso quadriennio defunctorum recitetur, et ex tunc fratres surgentes dicãt psalmum De profundis, totum, cum Requiem æternam. Deinde, Pater noster. Ver. Et ne nos inducas intentationem. Resp. Sed libera nos à malo Ver. A porta inferi. Resp, Erue domine animas eorum. Ver. Requiescant in pace. Resp. Amen. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Absolue, quæsumus domine, animas famulorum, famularumq; tuarum, et omnium fidelium defunctorum ab omni uinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria, inter sanctos, et electos tuos, resuscitati.

suscitati respirent. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen. Ver. Requiem eternam dona eis domine. Resp. Et lux perpetua luceat eis. Ver. Requiescant in pace. Resp. Amen.

Quibus sic gestis omnes sedeant, ac primùm nomina habentiũ vocẽ in electione generalis ordinatẽ recitentur: Primo loco diffinitores, secundo Prouinciales, tertio Vicarij congregationum, quarto discreti.

Posteà generalis prior, cuius uita esse debet alijs quibuscunquè in exemplum, ne de ambitione, & concupiscentia prælationis notari possit, quod in religiosis est detestabile cogitare, et detestabilius opere adimplere, sigillum generalatus officij patri præsidenti et diffinitoribus efficaciter, et cum effectu resignet, et cum dixerit suam culpam, coram diffinitoribus et discretis se prosternat, et erectus ad uocem patris præsidentis, uel antiquioris diffinitoris exeàt capitulum, et post eum omnes, præter diffinitores, uicarios congregationum, et discretos. Et tunc ipsi diffinitores, Vicarij congregationum et discreti, alijs egressis de capitulo, diligẽter, et solicitè uitam, et merita ipsius inquirant, considerent, et discutiant: et si eum dignum, et sufficientem, ac promptum, solicitum, et fidelem inuenerint ad omnia, et singula, quæ ad curam et bonum regimen totius nostri ordinis requiruntur; nihilq; in eum compererint, propter quod, sit secundum ordinis constitutiones absoluendus, gratias Deo referentes, poterunt ipsum laudabilius in regimine officij retinere, quàm ad nouam electionem faciẽdam procedere. Si ergo, secundum ea, quæ dicta sunt, talis inueniatur, quòd ipsis electoribus et idoneus, et religioni utilis uisus fuerit, ad aliam electionẽ de eo, aut de alio faciẽdam nullatenus procedant, sed ipsi committant, ut suum officium prosequatur; nã prima electio, non obstãte resignatione sigilli, in sua firmitate manet, donec officio renunciauerit, et diffinitores, uel maior, et sanior pars ex eis eius renũciationem acceptauerint, ut nullo pacto, nisi malemeritus, et causis urgẽtibus præcedẽtibus, reijci possit ab officio.

Si autem cõsiderata ipsius patris generalis cõditione, et uita, uideatur ipsis diffinitoribus, uel maiori, et saniori parti ex eis, quòd idem generalis nõ sit ulterius in generalatus officio tolerandus, quia, ut dictum est, nõ inuenitur sufficiens, uel aliàs de aliquo casũ, propter quem meritò debet absolui, secundum ordinis instituta, probabiliter est conuictus, statim ad requisitionem diffinitorũ, uel maioris, et sanioris partis ex eis, officio generalatus renũciet: et ipsi diffinitores, uel maior, et sanior pars ex eis, dictam renunciationem acceptẽt, et eum immediatè ab officio generalatus nostri ordinis absoluãt, eiq; protinus præcipiant, ut de eo ulterius se nullatenus intromittat: et eo ipso quòd inhibent, uel etiam si oppositus ac probatus aliquis de infrascriptis casibus sibi fuerit; propter quem absolui debeat, sit ipso facto à generalatus officio absolutus, et omni administratione, et executione dicti officij sit priuatus, et statim uocatis prouincialibus ad electionem prioris generalis celebrãdam procedãt.

Egressis igitur omnibus uocem nõ habentibus, proponãtur publicè in communi ex uocalibus, tres fratres, fideles, et graues personæ, in celebrandi capituli scrutatores eligendi, de quibus præsidens omnium uocalium uota, uiua uoce requirat: in quos si maior pars consenserit, præsidens eos ad se uenientes confirmabit, dicens. Et ego autoritate qua fungor, confirmo uos in scrutatores huius capituli nostri. In nomine patris et filij et spiritus sancti. Amen. Si uero contingeret tres nominatos fratres, aut aliquem, uel aliquos ipsorum, non acceptari, præsidens alium uel alios, in eorum locum proponat, donec de tribus scrutatoribus prouisum fuerit, ut supra.

Scrutatoribus igitur electis, et confirmatis, nomina uocalium per examinatores literarum testimonialium descripta, audiẽtibus omnibus recitẽtur. Posteà scrutatores ab alijs se se elõgantes, ita

uidelicet, quod à cæteris uideri possint, nō autem audiri, liberè scribāt, in primis quisque uota sua, super generali eligendo, deinde aliorum uocalium, qui coram ipsis successiuè per ordinem singil latim uota sua exponent, et hoc fideliter faciant. Forma autem electionis hæc erit. Ego frater. G. cōsentio in fratrem. N. de tali loco eligendum in priorem generalē nostræ religionis.

Completo itaque scrutinio, si in quempiam ex electis, plures quàm in quemuis alium, et maior pars electorum consenserint, tunc unus de prædictis scrutatoribus, de expressa uoluntate omnium de capitulo, illum in quem electores ita cōsenserint, statim in priorem generalem eligat, et publicet, dicendo ut infra. Si uerò maior pars electorum de aliquo fratre nō cōcordauerit, aut electores ipsi in partes æquales se diuiserint, repetatur scrutinium, donec maior pars ipsorum electorum in aliquem cōsenserit, et tunc unus de prædictis scrutatoribus de expresso omnium consensu, illum cōtinuò in priorem generalem eligat hoc modo. Pulsata ter campana, pro omnibus quibuscūque alijs fratribus congregandis, et ipsis congregatis, publicè et alta uoce illum sic pronunciet. In nomine domini nostri Iesu Christi benedicti. Amen. Anno eiusdem millesimo quingentesimo etc. die etc. Ego frater. G. senior scrutatorum huius capituli, spiritus sancti gratia inuocata, nomine meo, & nomine omnium ad quos pertinet electio, eligo in generalem huius nostræ religionis. N. Reuerendum patrem in Christo fratrem. N. etc.

Publicata electione, correctores diuini cultus incipiant cum nota Te deum laudamus, quod totum cum processione cantetur, et ad ecclesiam reuersis fratribus, pater præsidens dicat. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cū spiritu tuo. Oremus.

Omnipotens sempiterne deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum. G. et super cunctas cōgregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris; et ut in ueritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Deus qui nos à sæculi uanitate conuersos ad brauium supernæ uocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere: et gratiam nobis, qua in te perseueremus, infunde: ut protectionis tuæ muniti præsidijs, quod te donante promisimus impleamus, et nostræ professionis executores effecti, ad ea, quæ perseuerantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Sedentibus deinde omnibus, detur obedientia priori generali electo, et dicto à præsidente Adiutorium nostrum etc. omnes egrediantur.

Diebus omnibus sequentibus, ordinato loco conuenienti cum altari, ubi diffinitores omnes cum præsidente, priore generali, ac procuratore ordinis missam audire, et bis quotidie conuenire possint, cum præsidenti uidebitur, uocati à correctoribus diffinitorij, conueniant omnes, et audita primùm missa, incipiente præsidente sine nota dicāt hymnum, Veni creator spiritus, cum oratiōne Deus qui corda fidelium etc.

Prædicti autem præsidens, pater generalis, procurator ordinis, ac diffinitores de corpore constitutionum demere, et mutare, atq; constitutiones nouas facere poterunt, si eorum prouidæ deliberationi uidebitur expedire; ita tamen, quòd constitutio facta in uno capitulo generali seruetur tanquàm statutum, sed robur non habeat, ut constitutio dici possit, nisi in sequenti generali capitulo, per generalem et diffinitores fuerit confirmata; et econuerso; nec aliqua constitutio firmata antehac lata reputetur, seu infirmata, nisi per duo capitula generalia fuerit immutata, quamuis interea obseruanda non sit.

Tractanda autem per hos patres hæc præcipuè sunt, si quid primò mutandum sit in diffinitionibus

aliorum capitulorum generalium, si quid de nouo diffiniendum, aut ordinandum. Examinandi discreti de statu prouinciarum, audiendiq; quo ad omnia quæ proponere habent circa statum earum; uidendæ rationes accepti, et expensi in toto quadriennio, tam per priorem generalem, quàm per procuratorem ordinis; audiendæ literæ referentes statum omnium conuentuum, qui sunt sub immediata cura prioris generalis; examinandi libri accepti et expensi omnium prouincialium; instituendi priores in omnibus locis, qui sub immediata cura sunt prioris generalis, cum magistris regentibus, ac biblicis, et familijs studiorum; et si qua sunt alia secundum exigentiam temporum tractanda, ea omnia per præsidentem proponantur, et decidantur per uota, uel aperta uel secreta, hoc est, uel uiua uoce, uel per scrutinium, iuxta id in quod maior, et sanior pars conuenerit; quæ omnes decisiones scribantur, et in fine omnium, manu præsidentis, ac reliquorum subscribantur: quibus generalis prior, quo ad ea quæ continent suam correctionem, emendationem, ac moderationem, humiliter obedire debet, quia et si pater est ordinis excellentia singularis prælationis, frater tamen, etiam et par est uoto professionis.

Die ultimo, quando dimittendum est capitulum, congregentur omnes ter pulsata campanella, et dicto à præsidente, Adiutorium nostrum etc. Primum legantur alta et intelligibili uoce decreta in diffinitorio; deinde priores locorum, qui sunt sub immediata cura prioris generalis dicant culpas suas singillatim, et absoluantur ab officio; tertiò legantur nouæ familiarum dispositiones, et noui priores à præsidente confirmentur: denique fiant recommendationes, et primò summi Pontificis, et Reuerendissimorum Cardinalium, et Episcoporum, ac prælatorum omnium gratiam et communionem apostolicæ sedis habentium: deinde Serenissimi Imperatoris, Regum, Principum, et baronum christianorum, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ fauentium, et benefactorum omnium, utriusq; sexus, ordinis nostri uiuentium: et cuilibet sacerdotum iniungantur quindecim missæ, infra quadraginta dierum spatium, à notitia illius tunc capituli celebrandæ, tres uidelicet pro felici, et tranquillo statu sanctissimi domini nostri Papæ, et omniũ sanctæ romanæ ecclesiæ cardinalium, tres pro sanctissima pace omnium christianorum, tres pro salute Reuerendissimi domini Protectoris ordinis nostri, tres pro salute patris nostri generalis et sociorũ eius, tres uero pro animabus fratrum, sororum, propinquorum, et benefactorum ordinis nostri: clerici uero missarum loco, semel psalterium, laici quinquagies Pater noster, et Aue maria dicant, onerantes consciẽtias singulorum, ut hæc omnia adamussim impleant, et rectorum quoruncunque, ut seruanda omnibus demandent. Facta autem recommendatione surgant omnes, et dicant psalmum Ad te leuaui oculos meos, totum, cum gloria patri. etc. Deinde dicat pater præsidens, Oremus pro. D. nostro Papa. Resp. Dominus conseruet eum, et uiuificet eum, et non tradat eum in animas inimicorum eius. Ver. Saluos fac seruos tuos, et ancillas tuas. Resp. Deus meus sperantes in te. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Omnipotens sempiterne deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulũ tuũm. N. et super cũctas congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris, et, ut in ueritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Prætende Domine famulis, et famulabus tuis, dexteram cælestis auxilij, ut te toto corde perquirant, et quæ dignè postulant, consequi mereantur. Per Christum dominum nostrum. Resp. Amen.

Post hæc tempus pronuncietur, et locus capituli futuri generalis, quo pronuntiato, flexis genibus ab omnibus, fiat confessio in communi, dicendo, uidelicet, Confiteor etc. Præsidens data absolu-

tione, concedat licentiam omnibus, et singulis fratribus nostri ordinis, tam absentibus quàm præsentibus, si tamen sibi placuerit, ut postquàm ad eorum loca reuersi fuerint, quo ad præsentes, uel postquàm idsciuerint, quo ad absentes, infra octo dierum spacium, possint sibi eligere sacerdotem idoneum ordinis nostri, à quo in foro conscientiæ semel tantum, possint absolui, quemadmodum ab ipso absolui possent. Quo facto cantores alta uoce, cum nota incipiant canticum Te deum laudamus: et tunc omnes successiuè bini et bini ad medium capituli profundè se inclinantes, processionaliter ad ecclesiam uadant, canticum deuotè cantantes, quo cantico cõpleto, pater præsidẽs dicat. Ver. Saluos fac seruos tuos. Resp. Deus meus sperantes in te. Ver. Mitte eis domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eos. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat, Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Adesto domine supplicationibus nostris, et uiam famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes huius uiæ, et uitæ uarietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christũ dominum nostrum. Resp. Amen. Qua finita, dicat pater præsidens. Ver. Adiutorium nostrum in nomine domini. Resp. Qui fecit cælum et terram. Ver. Benedicite. Resp. Deus. Deinde det eis benedictionem dicens. Benedictio Dei omnipotentis, patris, et filij, et spiritus sancti descendat super uos, et maneat semper. Res. Amen. Deinde fratres recedant, et ad loca sua sibi assignata, in nomine domini nostri Iesu Christi, ire pergant.

De autoritate, & officio Prioris Generalis.
Cap. XLI.

PRIORI Generali nostri ordinis, tanquàm patri et pastori, cum omni reuerentia, et subiectione fratres ordinis in omnibus omnes obediant; ipse autem tanquàm rector, et pastor omnium curam gerens, ordinem uisitet, mores prouinciarum, ab uniformitate ordinis alienos, corrigat, & reformet: capitulis prouinciarum, quando potest, intersit, duos fratres, et unum conuersum, suo arbitrio secum ducens, quos sæpe, propter ædificationis exemplum, mutare cauebit.

Quandocunquè autem generalis ipse per prouinciam aliquam ordinis, quacunquè ex causa, transitum fecerit, fratres ad quos declinauerit, eum tanquàm patrem, pastorem, et rectorem ordinis, cum omni reuerentia et subiectione recipiant, omnia sibi et socijs, tam in sanitate quàm in infirmitate, quousque ad locum alterius prouinciæ peruenerit, secũdum eorum paupertatem, necessaria deuotissimè ministrent, à communitate prouinciæ recepturi (præter cibum, et potum, de quibus à prouincia nil recipiant) quicquid in prouisione huiusmodi monstrauerit expendisse.

Sanè autem priores prouinciales canonicè electos confirmare, et eosdem corrigere, et absoluere (si secundum statuta ordinis casus emerserit absoluendi) ad eius officium pertinet. Insuper priores conuentuales canonicè electos (si eorum electioni interfuerit, aut electio sibi delata fuerit) cõfirmet: et tam eos, quàm alios omnes officiales ordinis absoluere poterit, quandocunquè culparum merita secundum instituta ordinis suadebunt. Per uniuersum autem ordinem, diligenter & sollicitè corrigat, et reformet, quæcunquè, secundum instituta ordinis, tam in capitibus quàm in mẽbris inuenerit corrigenda.

Statuimus, ut frater, qui priori generali obedire recusauerit, et in ipsa inobediẽtia obstinatus per

duos

duos dies, et noctes integras permanserit, cum unusquisque legitimè ordinis filius teneatur usque ad mortem ordini obedire, et pro bono statu ordinis fideliter laborare: per tres annos uoce careat, et ad curam animarum ineligibilis sit, donec fuerit cum eo per generalem dispensatum, et nihilominus, sua pertinacia exigente, per mensem pœne grauioris culpæ cogantur penitus subiacere.

Electionem uerò eius, qui in priorem conuentualem alicuius loci de alia prouincia eligitur, nō nisi prior generalis confirmet.

In impositis quidem pœnitentijs, et obseruandis ordinationibus, in omnibus et singulis plenam autoritatem habeat dispensandi. Faciat constitutiones ordinis, quæ dispensationem prohibent, secundum quòd suæ prouidentiæ uidebitur, inuiolabiliter obseruari: cum condere et non obseruare, nō nisi ordinem deludere, et animas fratrum laqueare penitus dicatur.

Apostatæ quidem de citramontanis prouincijs, qui ultra tres menses in apostasia steterunt: et apostatæ de ultramontanis prouincijs qui eadem uagatione discurrerunt ultra annum: si ad ordinem recipi mereantur, à generali priore, uel de eius auctoritate expressa, et non aliter, sint recepti. Præterea, loca de nouo capienda, uel mutanda, de generalis prioris licentia capiantur, uel mutentur; si commodè haberi potest, hoc est, si à partibus in quibus locus capi, uel relinqui debet, nimis nō distat. Et fratres de prouincia ad prouinciam ipse generalis prior, et nō alius remoueat. Vicarios in capitulis prouincialibus (præter prouinciales priores, qui in illo anno fuerint) faciat, sicut suæ discretioni uidebitur expedire.

Prior quidem generalis, ad mandatum uel requisitionem præsidentis ac diffinitorum, uel maioris et sanioris partis eorum, officium generalatus statim renūciet, et eis sigillum ipsius officij resignet. Sed si statim, ut dictum est, officio generalatus non renunciauerit, et sigillum non resignauerit: eum ipso facto excommunicationis uinculo (quam ex nunc prout ex tunc, trina monitione præmissa, in his scriptis licet inuiti ferimus) innodamus, et, sua inobedientia permanente, tanquam ordini rebellis, et excommunicatus, omni communione fratrum sit penitus destitutus. Et tunc præsidens cum diffinitoribus, ac cæteris uocem habentibus ad electionem prioris generalis secundū formam constitutionum procedant. Si autem prior generalis aliquo rationabili impedimento detentus, non possit ad generale capitulum uenire, mittere uicarium suum ualeat, qui uice eius possit, et debeat sigillum ordinis resignare, et ad uoluntatem diffinitorum, uel maioris et sanioris partis eorum, generalatus officio renunciare. Quòd si uicarium aliquem suum nō miserit, et ipse generalis ad generale capitulum, tempore statuto in præcedenti capitulo, nō uenerit, à die statuta, et prefixa in antea ad dictum capitulū generale celebrandum, ipso facto sit à generalatus officio absolutus: et in eo casu, prouincialis prior illius prouinciæ, in qua capitulum cōgregatum est, omnia faciat, quæ prior generalis præsens faceret, usquequò præsidens publicetur; qui publicatus præcipiat diffinitoribus, & alijs uocem in electione generalis habentibus, ut ad ipsam electionem, sicut præcedenti capitulo ordinatum est, procedant, et omnia ritè faciant, sicut in eo capitulo ordinata sunt.

Præterea statuimus, ut decedente priore generali, uicarius ordinis sit, quicunque à Sanctissimo Domino nostro Papa fuerit institutus, cui obedire nemo recuset, ac si esset prior generalis; tantum ut capitulum generale celebrari curet primo proximo festo pentecostes, si ante illud per sex menses uicarius institutus fuerit: sin autem, in festo pentecostes anni sequentis. Debeat autem de sua institutione, mox ut fuerit institutus, ad omnes prouincias ordinis literas scribere, et omnibus prouidere, usque ad tempus capituli, casibus emergentibus, modò locum generalis capituli,

si designatus fuerit, nõ mutet, neque de electione eorum, qui uocem in sequenti generali capitulo sunt habituri, se immisceat.

Si autem ipse generalis prior (quod absit) ita deuio religiositatis tramite ambularet, quòd in ipso officio nõ sit ulterius tolerandus; utputà, si minus benè in fide catholica sentit: si in primo quadriennio omnes prouincias ordinis tam citra, quàm ultramontes, per se nõ uisitauerit; aut, timore Dei postposito, inordinatè, et irreligiosè uiuendo, constitutiones, et laudabiles ordinationes ordinis, quasi eas contemnendo, non seruat, nec eas per ordinem seruari facit: aut in ordine, aut in prouincia aliqua ordinis schismam, et discordias nutrit, seu conspirationes facit: uel forte per se, uel per alium arte, uel ingenio operatur, ut in generalatus officio possit remanere: uel si et probatos, et manifestos excessus, ac graues et enormes fratrum culpas, secundum ordinis instituta, nõ correxerit: uel fortè si aliquem, de quo quasi publica laborat infamia, in priorem prouincialem, seu conuentualem, ex certa scientia confirmauerit. Aut etiam si de crimine cuiuscunque carnalis uitij, per quatuor, uel per tres fratres bonæ famæ, et opinionis, conuictus fuerit; uel infamia inter fratres, uel seculares publicè huiusmodi uitij contra eum laboret: aut de nimia frequentia alicuius inhonesti loci, seu familiaritate inhonestæ personæ, apud fratres uel seculares notatus fuerit: vel si munera, et dona non comestibilia, seu quocunque alio nomine cẽseantur, à fratre aliquo, uel conuentu, uel prouincia, aut ab aliqua alia persona, eius uel eorum occasione, per se, uel per interpositam personam aliam receperit, uel recipi fecerit: præsidens et diffinitores generalis capituli, diligenti et discreta examinatione examinatis, et auditis culpis, accusationibus, et excusationibus per eum, et cõtra eum factis, si compertum fuerit, quòd suprascripta uitia, uel aliquod ex uitijs suprascriptis probabiliter in eo laboret, cum pro quolibet ex eis sit à generalatus officio absoluendus, statim uocatis omnibus coram se, qui uocem in electione Generalis habent, eos præsidens alloquatur dicens. Charissimi fratres, uos omnes missi, et uocati estis huc à corpore nostri ordinis, ut per diffinitores, et uos, tanquàm per uiros religiosos, et discretos, ac fideles religionis nostræ, prouideatur ordini de pastore. Igitur diffinitores ipsi charitati et discretioni uestræ instantissimè supplicant, ut deum præ oculis habentes, zelum ordinis mente, et affectu cordis, sicut legitimi filij religionis gerentes, quando procedetur ad electionem generalis prioris, quilibet uestrum in aliquem fratrem ordinis, excepto isto, qui modò fuit, oculos suos dirigat, et in eũ cõsentiat, de quo, secũdum cõscientiam suam, melius ordini sit prouisum.

De prædictis autem, & quolibet prædictorum conuictus quilibet prælatus nostri ordinis, absoluatur ab officio.

Si autem frater aliquis priorem generalem, seu prouincialem, uel conuentualem sic cõuictum, excusare à culpa ipsius excessus, uel à pœna culpæ defendere attẽtauerit, táquàm apostata et rebellis, ac infidelis ordini puniatur.

Quicunque de receptione huiusmodi muneris, uel munerum, seu doni ac donorum probabiliter cõuictus fuerit, præcipimus firmiter obseruari, ut ab electo in priorem generalem, uel ab eius uicem gerente, et diffinitoribus capituli, infra mensem ad restitutionem omnium perceptorum, sine diminutione aliqua, penitus constringatur, et omnia sic restituta in communitatẽ ordinis deducãtur: et ipse ineligibilis ad omne officium ordinis perpetuò permaneat; hoc addito, ut si per simoniam, uel palliationem furti, uel cuiuscunque uitij carnalis, compertum fuerit aliquid accepisse, grauioris pœnæ culpæ tribus mẽsibus subiaceat. Prior enim generalis, uel uicẽ eius gerens, & diffinitores illi, qui, sicut scriptum est, tam de inuestigatione culparum, quàm de restitutione rerum, et de pœna adiecta culpæ non fecerint obseruari, à proximo sequenti capitulo generali debeant,

beant, usque ad quinquennium, ab omni cura animarum suspendi.

Si autem prior generalis fortè aut senectute, aut aduersa ualetudine, aut huiusmodi de causis fuerit ab generalatus officio misericorditer eleuatus, ipsi tanquàm personæ uenerandæ reuerentiã, et honorem omnes ubique reuerenter exhibeant: ipse uerò exemplum ædificationis, et sanctitatis moribus, et uita, omnibus præbeat. Officium quidem nullum inferius à generalatu de cætero in ordine habeat: nullus enim sine despectu, et contumelia ordinis, potest ad aliquod officium particulare assumi, qui multitudini præfuit uniuersæ.

Possit autem ipse in quacunque parte nostri ordinis ad suam quietem, pacem, et consolationem, eligere sibi unum locum, in quo ipse degat cum socio uno, qui ei seruiat, et conuentualis existat; nec inde contra eius uoluntatẽ ipse, uel socius eius per aliquem officialem ordinis, ualeat remoueri. Prouideatur etiã eidẽ loco de priore et familia, pro ut idẽ pater postulabit, et hoc tẽpore capituli, per ipsos diffinitores; in reliqua autem parte anni, per priorem prouincialem, uel regentem prouinciam. Item uolumus et præcipimus, ut solus prior generalis, uel eius uicarius ad hoc specialiter deputatus, possit corrigere iam dictum priorem generalem, & super factis eius uisitare, si ipsum errare contigerit.

Generalis autem in cuius cura, et prouidentia, ordo totaliter requiescit, in generali capitulo semper circa ea quæ substantialia sunt ordinis, et statum communem respiciunt, diligenter debet aduertere, et ad ea diffinitorum ipsius capituli intelligentias excitare. Debent enim, auditis culpis, inter se, et ab alijs diligenter inquirere, si qua sunt in Romana curia, pro commoditate totius ordinis, uel alicuius prouinciæ, seu loci procuranda, uel impetranda, et illa procuratori ordinis, ex parte eorum solicitanda iniungere: et quod per ipsum procuratorem factum, et procuratum extiterit, etiam inquirere, et scire.

Attentè quidem prouideant, quomodo studia, in quibus fundamentum ordinis consistit, per uniuersum ordinem solicitè continuentur, et maximè quomodo generalia studia in feruore, et assiduitate study nutriantur, et apti ad studium per singulas prouincias ordinis promoueãtur. Et ad hæc non solum in generali capitulo, prior generalis uigili, et solicita cura debet intendere; sed sæpe per literas, et maximè in prouincialibus capitulis prouinciales, lectores, et priores ad hæc debet inducere, et monere.

Præcipiat insuper omnibus regentibus, et studentibus, ut opiniones et positiones uenerabilis fratris nostri Egidy, ubiq; teneant, et secundum eius scripta omnino legant, et ipsi, ut zelatores honoris, et status ordinis, eũ mandato et sine mandato, hæc infallibiliter seruent.

Præterea consideret solicitè, et prouideat, quomodo ordo si in aliquibus partibus mundi debilis est, fortificari, et augmentari possit; et ubi nondum plantatus est, quomodo plantari, et radicari possit: et ad hæc solicitè uigilet, et insistat. Idem à prouinciali cuiuslibet prouinciæ, et ab alys eius socys diligenter quærat, et sciat quomodo, tam in receptione locorum, quàm in receptione fratrũ, et obseruantijs regularibus, prouincia in sui administratione profecit; et si priores, et fratres locorum fecit religiosam, & communem uitam ducere. Et quem in præmissis inuenerit proficientem, ad exemplum aliorum ipsum coram omnibus de capitulo commendet, & honoret, et in officio libenter manuteneri faciat, donec benefecerit. Quem uerò in ipsis inuenerit defecisse, ad correctionem, & monitionem aliorum, coram omnibus de capitulo increpet, et reprehendat, et ab officio eius, præsentibus omnibus penitus amoueat, ac condigna pœnitentia afficiat. Omnes prouinciales, ad hæc omnia instantissimè moneat, & confortet, et eis omnino præcipiat, quòd priores omnes uitam communem cum fratribus suis omnibus obseruare faciant. Nam ex particulari uita

fratrum, ac eorundem proprietate, monasteria confunduntur, diripiuntur: fratres autem rapere & furari coguntur, et ad omnem communem utilitatem, in qua ordinis status, et salus animarum, & pax et tranquillitas corporum consistit, redduntur tepidi: et ob affectum proprium, quãdoq; imò multoties, communi omnium utilitati domestici inimici; ad murmurationem autem et detractionem, ac etiam ad, scandala, à quibus confusio ordinis, et perditio animarum, & religionis, apud saeculares personas, ludibrium sequuntur, sunt omnino parati, & prompti.

Cum ergo radix, et fomes horum, et aliorum multorum, sit inordinata uita pastoris, et proprietas fratrum, nullo modo in religione nostra tolerari debent: sed, iuxta sanctorum apostolorum morẽ, communis omnibus uita, ac omniũ rerum temporalium, inter ipsos fratres beata communitas, unde omnia, quaecunque bona profluenter, absolutè, prosperè, beateq; succedunt, omni diligentia, opera, et studio sunt inuiolabiliter seruanda.

De autoritate, et officio uisitatorum generalium ordinis nostri. Cap. XLII.

PRIOR *Generalis, cum casus emerserit, propter quẽ prouincia aliqua, uel locus aliquis uisitatione egeat, si ipse personaliter uisitare nõ potest, unum uel duos mittat uisitatores prouidos, et discretos, iustitiae et religiositatis non modicum zelatores, et nunquam in ordine de aliquo uitio notabili notatos, quibus tantam communicet per suas literas autoritatẽ, quanta sibi uidebitur expedire. Ipsi uerò uisitatores, officium, sicut eis commissum fuerit, omni solicitudine, et diligentia facere, et adimplere curent: corrigant, & reforment; et delicta in unoquoque puniant, iuxta ordinis instituta.*

Et licet autoritatem magnam habeant, prouincialem tamen nullum absoluere possint, neque priorẽ locorum, qui sub cura generalis sunt immediatè. Si tamen inuenerint aliquem prouincialem, uel priorem talem absolutione dignum, statim Generali culpam, et excessum eius, per suas speciales literas, debeant intimare; et intereà, si casus arduus requirat, ab officio suspendere. Priorem autem conuentualem (si quando causa euidens, et cogens apparuerit absoluendi) non nisi conuocatis, & requisitis prouinciali et aliquibus sfratribus de senioribus, qui commodius haberi poterunt de prouincia, absoluant.

Praetereà, quicquid inuenerint reformandum, uel corrigendum, tam in uita quàm in moribus, et in officijs, atque in omnibus regularibus obseruantijs, siue illud correxerint, uel non correxerint, ad Generalem deferant in scriptis, sine specialium infamia personarum (quod de correctis debet intelligi) ut per relationem huiusmodi, possit generalis prior de statu et conditione totius ordinis informari: et sic suo modo uitijs obsistere, et uirtutibus subuenire.

Prioribus omnium prouinciarum, et locorum mandamus, quatenus praemissis uisitatoribus (cum apud eos peruenerint) cum omni diligentia, et charitate, de prouincia sua ad aliam prouinciam, et de loco ad locum, secundum paupertatem ordinis, prouideant in expensis.

De poena

De pœna male tractantium, uel falsificantium literas, et sigilla officialium nostri ordinis, uel alterius personæ, necnon et priuilegia, uel ordinis instrumenta.

Cap. XLIII.

NVllus frater aliquas literas generalis, prouincialis, conuentualis prioris, uel alicuius officialis nostri ordinis audeat destruere, aperire, uel occultare: neque eas quæ ipsorum nomine scriptæ sunt, neque eas quæ ad ipsos dari contingit. Quod si aliquis confessus, uel conuictus fuerit, quòd tale quid fecerit, per mensem pœnæ grauioris culpæ subiacere cogatur. Qui autem literas, uel sigilla prædictorũ falsificare præsũpserit, pœnæ grauioris culpæ tribus mẽsibus subiaceat, et ineligibilis per tres ãnos, ad omne officiũ nostri ordinis permanebit. Eidẽ pœnæ subiaceat, qui indulgẽtias, uel priuilegia, aut instrumenta publica in fauorem ordinis, uel alicuius domus, seu fratris, uel cuiuscunque personæ concessa, destruere fuerit ausus, uel alienare.

Falsificationem autem intelligimus demere, uel addere aliquid in literis, uel de literis, quod sensum, & tenorem literæ in aliquo immutet: seu aliquid aliud facere contra intentionẽ eius, cuius in ipsis literis nomen appositum est, uel sigillum, uel signum.

In pœnitentijs quoque præmissis, quæ de falsarijs loquuntur, uel similibus, si opus erit, addat generale capitulũ; uel ipse generalis, secundũ quòd sibi delicti enormitas suadebit.

De pœnitentia percutientium, et incidentium in aliquem lapsum carnis, et reuelantium secreta capituli, seu domus.

Cap. XLIIII.

ORdinamus, quòd siquis frater irato animo alicui percussionem comminatus fuerit, pœnam grauioris culpæ per quindenam sustinere cogatur: et si percusserit, per mensem pœnæ grauioris culpæ subiaceat, et secunda, quarta, et sexta feria in pane et aqua, in medio refectorij super nudam terram, sine dispensatione debeat ieiunare. Si uerò fratrem alterius ordinis, aut clericum, aut aliam personam sæcularem percusserit, per duos menses pœnæ subiaceat supradictæ, et tantum plus, quantum generali, uel priori prouinciali uidebitur expedire.

Si quis autem enormi læsione atrocẽ iniuriã in religiosam personam, hoc est clericũ, aut religiosum, uel religiosam, conuersum, uel commissum, professum, uel nouitiũ intulerit, siue ratione læsionis, siue ratione dignitatis offensæ personæ, siuæ ratione loci, læsio dicatur enormis, putà si ferro ligno, lapide, aut alio quouis modo sanguinis effusio fiat, uel aliàs mortalis, uel grauis alicuius membri læsio inferatur. Ratione uerò dignitatis intelligimus in prælatũ, uel in magistrũ in sacra theologia: ratione autẽ loci, si in ecclesia, uel cimiterio, uel sacristia, uel dormitorio monasterij, id fiat. Quouis prædictorũ modorũ percutiens, aut læsionẽ inferens incarceretur, nec inde extrahatur, nisi prius cũ eo per generale, uel prouinciale capitulũ misericorditer fuerit dispensatũ: infra quod tẽpus, secunda, quarta, et sexta feria, in pane et aqua, sine dispensatione ieiunet. Adijcients, quòd si hoc cũ extraneorũ scandalo factũ fuerit, postquàm cũ huiusmodi de carcere fuerit dispẽsatum, per quinquennium careat uoce.

Si autẽ usque ad homicidiũ (quod deus auertat) aliquis dilaberetur, talẽ uolumus, et omnino decernimus perpetuò carcerari, et ter in hebdomada, panẽ et aquã solũ eidem administrari.

Quòd si aliquis ad tantã animi sæuitiã, et perturbationẽ uenerit, quòd ultra ter, diuersis tẽporibus, in fratrẽ manus iniecerit temerè uiolentas, etiã absque mẽbri læsione, et sanguinis effusione notabili, portata pœnitentia secundũ differentiã percussionũ in capitulo isto positã, hæc super addatur, quòd ad omne officiũ ordinis ineligibilis permanebit, nisi fuerit cũ eo per generale capitulũ dispensatũ: nihilominus aggrauetur transgrediẽtiũ pœna magis, secũdũ exigentiã demeritorũ.

Item, quicunque frater in suum priorem, uel prælatum manus iniecerit temerè uiolentas, præter pœnam excommunicationis, quam talis, ipso facto, incurrit, à qua etiã per nullum, nisi autoritate apostolica, potest absolui, etiam uoce perpetuò sit priuatus, et ex consequenti sit inhabilis ad omne officium, quod curam animarum habet annexam. Quam etiam diffinitionem ad ordinatores, & complices percussionis, et iniectionis uiolentarum manuum uolumus extendi.

Si quis autem frater inuentus fuerit portare, uel tenere arma, propter quæ meritò possit haberi suspectus, sit ipso facto per sex menses pœna carceris adiudicatus.

Siqui uerò reperiuntur uitio indicibili maculati, confessi coram fide dignis, uel conuicti, tribus mẽsibus incarcerentur, et nullo posteà quouis tempore ad prioratum, uel supprioratum, seu uicariatum, uel ad aliquam curam animarum assumantur. Qui autem tales promouerit, usque ad quinquennium ineligibilis habeatur, et ipsa promotio penitus nulla sit. Et si deinceps aliqui in prædicto uitio inueniantur, per annum integrum incarcerentur, et secunda, quarta, et sexta feria, sine aliqua dispensatione, in pane et aqua ieiunent; et postmodum licentientur ad arctiorem regulam, nisi eligant in ordine perpetuò carcerari.

Qui autem in fornicatione, aut adulterio deprehensus fuerit, uel conuictus, omnino incarceretur, nec inde extrahatur, sine Reuerẽdissimi patris generalis, uel capituli prouincialis licẽtia speciali.

Siquis in peccatũ carnis extra locũ lapsus fuerit, frater, qui cũ eo est, studeat priori excessum eius corrigendũ, quancitius intimare. Si uerò huiusmodi peccatũ occultũ fuerit, inquisitione discreta, secundũ tempus et personam, condigna imponatur pœnitentia. Si autẽ manifestũ fuerit, correctus secundum prætaxatam pœnitentiam de fornicatione, à loco & conuentu illo omnino amoueatur, et ad locum illum, in quo tale quid commisit, ulterius non mittatur, nisi per longa posteà tempora ita religiosè conuersatus fuerit, ut diffinitoribus duorum prouincialium capitulorum uideatur de eo aliter obseruandum.

Siquis frater, siue conuersus secretum cuiuscunque capituli, seu etiam domus nostri ordinis alicui extraneo scienter, ex deliberatione reuelauerit, pœnam grauioris culpæ, per mensem unum continuè pro qualibet uice sustinere, sine aliqua dispensatione, efficaciter cõpellatur, et uoce careat per triennium, etiam si per eum dicta pœnitentia fuerit adimpleta.

Secretũ uerò capituli, seu domus intelligimus causas infamatorias, absolutionẽ cuiuscũq; prioris, uel correctionẽ eiusdẽ, aut fratris alicuius crimen, seu omne aliud, unde ordo noster, cõuentus aliquis siue frater particularis quouis modo infamari, uel turbari possit. Nihil igitur de religione nostra, seu domo, uel quouis fratre particulari extraneis personis reuelari, aut manifestari, siue dici debet, nisi id, quod ad Dei honorẽ, et religionis ac fratrũ decorẽ, et audiẽtiũ ædificationẽ pertinet. Secretũ etiã dicimus quicquid prior generalis, aut prouincialis, seu visitatores, vel diffinitores, aut localis prior, præceperit secretũ haberi. Extraneos autẽ dicimus quotquot nõ sunt nostræ professionis, et sub debita obedientia Reuendissimi prioris nostri generalis.

Decernimus insuper, quòd siquis aliquem fratrem apud alium, quàm prælatum nostri ordinis accusauerit, ipso facto, sit omnibus gradibus, ac uoce utraque priuatus. Sacerdos uerò, qui tantæ fuerit fraude diabolico obcæcatus, quòd ex alicuius cõfessione sibi facta in foro pœnitentiæ, præsum

pſerit aliquid aliquo moda reuelare, ſi de huiuſmodi ſcelere ſit cõuictus, ſtatim ſine aliqua diſpenſatione pœnæ carceris efficaciter mancipetur, et de eo niſi per generale, uel prouinciale capitulũ nullatenus extrahatur: atque autoritate audiendi confeſſiones, eo ipſa facto, ſit priuatus, donec ab habente autoritatem diſpenſandi, meruerit uberiorem gratiam obtinere.

De *pœna falſi teſtis, et eum introducentis, et mittentis literas infamatorias ſine nomine.*
Cap. XLV.

L*Icet uia malignantiũ, et iniquitas peruerſarũ nulla poſſit lege, ſeu mãdato præcludi, tamen ad hoc, quantum in nobis eſt, debemus ſalicitè uigilare. Igitur ſtatuimus, et ordinamus, et omnes ac ſingulos fratres noſtri ordinis primò, ſecundò, et tertiò inducimus, et monemus, et eiſdem ſtrictè præcipimus per abedientiam ſalutarem, et sub excommunicationis pœna, ut nullus ex eis fratrem aliquem de falſa coram aliquo prælata, uel afficiali noſtri ordinis, ſeu alio quouis principe, iudice, uel prælato, uel afficiali, aut prælatum aliquem corã fratribus uel ſæcularibus accuſet, uel falſum teſtimoniũ cõtra aliquẽ reddat, uel falſum teſtem det, ſeu inducat, uel dari faciat; quòd ſiquis tanta peruerſitate, et ſuggeſtione diabolica fuerit obcæcatus, quòd cõtra hoc noſtrum præceptum præſumpſerit modo aliquo ire, uel illud contempſerit obſeruare, trina canonica monitione præmiſſa, ex nũc prout ex tunc in his ſcriptis ipſum excõmunicationis uinculo innodamus, et ipſum, ipſo facto, excommunicatum eſſe decernimus: addentes inſuper, quòd quicunque fuerit de tali temeritate conuictus, per ſex menſes pœnæ carceris in compedibus mancipetur, et ſecunda, quarta, et ſexta feria, in pane et aqua tantum, reficiatur: et uoce, et officia prædicationis, et lectariæ, ſi lectar fuerit, perpetuò careat, niſi cum eo per duo generalia capitula fuerit diſpenſatum.*

Siquis etima aliquem fratrem de crimine aliquo accuſauerit, et in probatione defecerit, pœnam ſubeat falſi teſtis.

Item sub tenore eiuſdem præcepti, & cenſuris, ac pœnis diſtrictè prohibemus, ne quis frater noſtri ardinis literas infamatorias, aut per quas poſſit ordo, ſiue conuentus, uel aliquis frater ordinis infamari, uel ipſius ſecreta, aut alicuius fratris ſciri, alicui perſonæ, illis duntaxat superioribus exceptis, ad quos correctio illorum de quibus ſcriberet pertineret, mittat, aut mitti faciat, uel procuret, aut conſentiat; neque per rithmos, uel cantilenas, aut quaſuis cedulas, uel libellos, aut deſcriptiones in quouis loco, etiam in parietibus deſignatas aliquem diffamet: quòd ſiquis aliquo modo contrafecerit, eo ipſa excammunicationis uinculo, quam ex nunc prout ex tunc in his ſcriptis ferimus, ſit aſtrictus, et per tres menſes pœnæ subiaceat culpæ grauioris; et nihilominus, poſtquam per eum talis pœnitentia fuerit ſine diminutione adimpleta, uoce per annum careat, et ſexta feria, super nudam terram ſedens, in pane et aqua ieiunet, et à priore loci recipiat diſciplinam.

Mandamus inſuper, et diſtrictè prohibemus amnibus, & ſingulis ſacerdotibus noſtri ordinis, ne aliquem à ſententijs in præſenti capitulo latis, aut ab aliqua alia eccleſiaſtica cenſura, uel ſententia in conſtitutionibus, uel à diffinitoribus capituli, aut à patre generali, uel à suis prouincialibus, aut uiſitatoribus latis, excepta mortis articulo, præſumant abſoluere, abſque patris generalis, aut ipſorum diffinitorum licentia ſpeciali. A ſententijs tamen, quas ipſi prouinciales aut uiſitatores fortè tuliſſent, ijdem etiam abſoluere ſimiliter poterunt, et abſoluendi alijs committere facultatẽ. Quicunque uerò contrafecerit, per duos menſes pœnæ subiaceat culpæ grauioris, et huiuſmodi abſolutia penitus irrita, et nulla eſſe intelligatur.

Prohibemus insuper, ne quis frater nostri ordinis superior, aut subditus literas aliquas, in quibus nomen suum, et cognomen, aut saltem, patriæ, aut loci suæ natiuitatis denominatio non sint lucidè, et clarè descripta, mittat, aut mitti faciat, uel procuret, aut consentiat: contrafacientes autem per suum superiorem puniantur, et uoce actiua et passiua sint priuati per annum.

Qua pœna proprietarij, et surripientes puniantur. Cap. XLVI.

AD eradicandam, quantum cum deo possumus, atq; à fratrum cordibus prorsus eliminandam contagiosissimam proprietatem atq; ipsius radicem pestilētissimā, statuimus, et ordinamus, et omnino seruari uolumus, quòd omnes, et singuli nostri ordinis fratres, siue clerici, siue conuersi, aut commissi fuerint, completo anno suæ probationis, si in religione deo sunt se dedicaturi, antequàm profiteantur, de omnibus et singulis quibuscunque bonis, iuribus, et actionibus, ad ipsos tunc uel in posterū quouis modo attinentibus, et quo ad proprietatem, et quo ad omnem, ac totum penitus eorundē usufructum, donationem inter uiuos absolutè, et sine quauis cōditione, efficaciter faciant ipsi monasterio, et fratribus, uel cui uoluerint, nihil penitus de eis sibi, quouis modo reseruantes, omnem eorum spem plenissimè proijcientes in dominum, à cuius immensa bonitate, si religiosè uixerint, in ipsa religione nedum uictum, et uestitum, et cætera huic uitæ necessaria, uerum etiam, et cælestes omnes thesauros cumulatissimè recipient. Quòd si huiusmodi donationem facere recusauerint, aut differre uoluerint, tanquam ad religionem, et domini iugum inepti, ad ipsam professionem nullatenus admittantur; et ab ipsa religione efficaciter eyciantur.

Si uerò post eorum ingressum in religionem, ab eorum parentibus, cognatis, affinibus, aut alijs quibuscunq; aliquid datum, donatum, uel quouis modo, seu quauis, de causa, aut quouis excogitato titulo, eis legatum fuerit, id omne, totum, et qualecunq; fuerit, efficaciter sit in plena, et libera potestate prioris loci, et in rem communem, effectu ipso, redigatur, et cui necesse fuerit tribuatur. Hoc idem omnino efficaciter fieri uolumus de omnibus alijs, et singulis quibuscunque bonis, siue mobilibus, siue immobilibus quibuscunque, et qualibuscunque, ab ipsis nostri ordinis fratribus, quouis modo, aut quouis tempore acquisitis, uel acquirendis, siue lectionibus, prædicationibus, cōfessionibus, missis, et quibusuis orationibus, siue aliquo artificio, industria, labore, aut beneuolentia, gratia, uel fauore apud quascunq; personas, et à quibuscunq; personis. Omnia enim hæc & prædicta quantacunque, et qualiacunq; fuerint, infra uiginti quatuor horarum spatium, ab eorum receptione, postquàm ad conuentum redierint, si cum ea receperent, in conuentu non erant, non tantum uerbo, sed re, et effectu ipso ponant in plena, et libera prioris loci potestate, ut in rem communem apud procuratorem redigantur, et prout necesse fuerit, fratribus distribuantur: cōtrafacientes uerò furti iudicio condemnentur. Quòd si huiusmodi res collata, et celata fuerit ualoris unius unciæ argenti, sic delinquēs pœnæ grauioris culpæ, per duos mēses subiaceat: si uerò maioris ualoris fuerit, secundum augmentum ualoris rei celatæ, augeatur delinquenti pœna, prout discretioni prioris uidebitur expedire; ita etiam et pœna ipsa minuatur, si ualor rei celatæ minor fuerit: et ultra hanc pœnam, acceptis uel acquisitis omnibus omnino efficaciter priuentur. Et contra hanc prædictam formam de consignandis cum effectu omnibus quibuscunque rebus in manibus, et libera facultate prioris, ut præfertur, nullam quamuis generalem licentiam dari, uel datā ualere uolumus. Pia tamen, et laudabilis discretio, ita à superioribus obseruetur, ut ipsorum fra

trum,

trum, quorum causa huiusmodi bona ad monasterium uenerint, quo ad eorum necessitates, pro loco et tempore in huiusmodi bonis eis donatis, uel relictis, uel ab eis, utcunque acquisitis, specialem rationem habeant. Ad hanc autem communitatem, ut præfertur, integrè seruandam in omnibus, et per omnia indifferenter teneantur et ipsi priores locorum, omnia uidelicet, et singula, quantulacunque, et qualiacunque eis relicta, donata, missa, uel ab eisdem quouis modo acquisita, in rem communem fratribus distribuenda, ut præfertur, redigere: quod si cõtrafecerint, ultra prætaxatam pœnam, sint, ipso facto, officio quo funguntur priuati, et uoce actiua et passiua pertriennium careant.

Volumus insuper, ut quilibet prior singulo anno, faciat inuentarium omnium librorum, uestimentorum, ac aliorum omnium ad usum fratrum suorum, tam recedentium, quàm remanentium, et aduentantium concessorum, et tempore uisitationis illud prouinciali, & uisitatoribus ostendat: ut si quæ inuenerint ad usum alicuius fratris immoderatè concessa, ea omnino efficaciter ab eo fratre auferant, et, pro ut opus est, cæteris distribuant.

Nulli autem locali priori, neque etiam alicui fratri cuiuscunque gradus, conditionis, aut dignitatis existant, equum aut iumentum aliquod per se, uel per interpositam personam ad priuatum usum tenere, quouis modo liceat, prouincialibus, et uisitatoribus, gratia uisitandi monasteria duntaxat exceptis: siquis autem contrafecerit, quicunque fuerit ille, sine aliqua dispensatione, huiusmodi equo, mula, uel iumento omnino priuetur, et sicut proprietarius efficaciter puniatur.

Omnibus autem, et singulis quibuscunq; fratribus nostri ordinis, præsentibus et futuris, cuiuscunq; gradus, officij, dignitatis, ætatis, uel conditionis extiterint, in uirtute sancti spiritus, et sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam trina canonica monitione præmissa, in his scriptis ferimus, districtè præcipimus, et mandamus; ne quis possessiones, prædia, agros, uineas, nemora, hortos, animalia in socida, uel sine socida, domos, apothecas, uel quosuis redditus, aut quæcunque alia bona immobilia, per se, uel per interpositam personam, suo uel alio nomine, quouis modo, titulo, aut exquisito colore, ad usum proprium tenere, uel habere præsumat: similiter neque mercaturam, aut quemuis alium negociandi modum, per se, uel per alium, suo uel alieno nomine exercere, aut cum conuentibus, & monasterijs contractum aliquem inire, aut quodcunque aliud turpe lucrum sectari quouis modo audeat: contrafacientes autem, ut præfertur, sint ipso facto excommunicati, contractus uerò cum monasterio initi nullius sint roboris, uel momenti, perinde ac si facti non fuissent, & ipsi fratres ab omni negociatione, et contractu, ac turpi lucro in posterũ omnino cauere, atque bona illa omnia, et singula immobilia, uel mobilia, quãtacunque, uel qualiacũq; ea fuerint, aut eorum pretium, si qua uendiderint, infra octo dierum spatium à præsenti monitione, conuẽtui, in quo, uel nomine cuius religionis habitum assumpserunt, omnino efficaciter consignare, et restituere teneantur; pœnitentia nihilominus pro huiusmodi eorum delicto ab eorum superiore eis iniuncta. Quòd si infra dictorum octo dierum spatium id non fecerint, tanquàm membra putrida, et contagiosa omnino abscindenda, à toto corpore religionis nostræ penitus efficaciter perpetuis temporibus abyciantur, et abradantur, iuribus nihilominus super huiusmodi bonis ipsis religioni integerrimè reseruatis.

Iniũgimus autẽ in uirtute sanctæ obediẽtiæ omnibus, et singulis prioribus, prouincialibus, ac uisitatoribus nostri ordinis, ut in actibus uisitationũ suarũ, trina canonica monitione præmissa in scriptis, fulminent sententiam excommunicationis in forma canonica, contra fratres proprietarios nostri ordinis: et si forte aliquem inuenerint, eum iuxta formam nostrarum constitutonum acriter puniant, et ad efficaciter restituendum malè possessa omnino cogant. Deposita etiam pecuniaria,

tam ſuperiorum, quàm ſubditorum, ſi quæ fuerint, ad moderatum uſum, et neceſſitatem fratrum expendi faciant.

Statuimus etiam, quòd nullus frater noſtri ordinis, ſiue prior, ſiue ſubditus fuerit, quouis modo, extra locum in quo conuentualis exiſtit, ueſtes, libros, ſiue aliquid aliud ſibi ad uſũ cõceſſũ reponere audeat: niſi, ſi ſubditus fuerit, de expreſſa et ſpeciali licentia ſui prioris, quam licentiam nulli fratri concedat, niſi cauſa rationabili ſubſiſtente: ſi uerò prior fuerit, ſine expreſſo ſcitu, et uolũtate trium fratrum de ſenioribus ſui conuentus. Quicunque uerò contrafecerit, ſine aliqua diſpenſatione, rebus ipſis efficaciter priuetur, et de ipſis, ſicut de bonis fratrum decedentium, omnino diſponatur.

Extra uerò loca noſtri ordinis, apud alias perſonas, qualeſcunque fuerint illæ, et quacunque etiam affinitate uel conſanguinitate alicui ex noſtris fratribus contingant, nullo quouis modo, titulo, uel exquiſito colore, nulli ſiue priori, ſiue ſubdito aliquid de prædictis reponere, ſiue deponere liceat. Quòd ſiquis contrafecerit, quicunque fuerit ille, prætaxatam pœnam omnino luat, et per quindenã pœnæ grauioris culpæ ſubiacere cogatur.

Si quis etiam frater, ſiue prior, ſiue ſubditus fuerit, ueſtes aliquas, qualeſcunq. illæ fuerint, alicui quouis modo uendiderit, uel alienauerit, uel ſibi emerit, pretio & ueſtibus illis reſpectiuè omnino priuetur, et per quindenam ſubeat pœnam grauioris culpæ. Eandem omnino pœnam ſubeat, qui libros alicui, uel alijs extra ordinem noſtrum uendiderit.

Poſſint tamen fratres, ſi ſubditi fuerint, de licentia ſui prioris, ſi uerò priores, de expreſſo ſcitu, et conſenſu duorum ſeniorum ſui contentus, etiam cum extraneis perſonis, permutare libros in alios libros: ſimiliter ſi contingeret aliquem fratrem noſtri ordinis indigere aliquo libro, quo alius frater, qui eum ad uſum ſuum habet, nõ indigeat, indigeat tamen aliquo alio libro, uel aliqua alia re, de prioris ſpeciali licentia, poſſit permutari liber ille in pecunias, modo tamen pecuniæ illæ apud procuratorem conuentus depoſitæ remancãt, donec liber alius, uel res, illis pecunijs emptus, uel empta fuerit.

Emere autem aliquid, quodcunque ſit illud, etiam comeſtibilia, nulli fratri, procuratore domus excepto, quouis modo liceat, ſine ſui prioris licentia ſpeciali: ſiquis autem cõtrafecerit, ter infra unã hebdomadam, ſedens in terra, in pane et aqua ieiunet.

Dare uerò, uel donare extraneis perſonis, nulli fratri liceat, abſque licẽtia ſui ſuperioris: prior autẽ localis licentiare poſſit ſubditum ſuum uſque ad ualorem quinque ſolidorum uſualis monetæ: prouincialis autem uſque ad decem, ſi eis uidebitur expedire, et non ultra. Mutuare uero pecuniam nulli priori, uel procuratori, uel alij ſubdito, extra noſtrum ordinem liceat: qui autem contrafecerit, ſi ipſa pecunia fuerit de bonis iam in rem communem redactis, mutuans puniatur, prout diſcretioni prioris, uel prouincialis, aut uiſitatorum uidebitur expedire. Si uerò fuerit ab aliquo fratre, ſiue ſubdito, ſiue priore clandeſtinè percepta, uel retenta, mutuans, pecunia ipſa omnino efficaciter priuetur, et etiam tanquàm proprietarius puniatur: pecunia autem ad manus procuratoris perueniat, et in rem communem, pro uſu fratrum expendenda penitus redigatur.

Indulgemus autem, quòd omnes et ſinguli noſtri ordinis magiſtri, baccalarij, lectores, prædicatores, et confeſſores, ſingulis annis ex eleemoſynis eiſdem cõceſſis, pro eorum priuoto uſu, de ſcitu tamen prioris ſui expendere poſſint in aliqua noſtræ religioni, iudicio ſuperiorum, conuenientia: utpote in libris, uel in quibuſdam ad miniculis pro eorum ualetudine, uſque ad ſummam, quam pater generalis ordinauerit.

Vniuerſis præterea ac ſingulis noſtri ordinis prioribus, in uirtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna

priuationis sui officij, ac uocis actiuæ et passiuæ per biennium, præcipimus, et mandamus, quòd omnibus et singulis fratribus de eorum familia tam in eorum infirmitate, de medici consilio, quàm in sanitate, per procuratorem conuentus, cum omni humanitate, et charitate uictum, et tegumentum distribuant, sicut cuique eorum opus fuerit. Quòd si, iuxta posse monasteriorum, id non fecerint, sint, ipso facto, prioratus officio priuati, & uoce actiua, & passiua biennio careant.

V*olumus insuper, et decernimus, quòd cum fratres uel per diffinitores capituli, uel per prouincialem, infra annum, de loco ad locum mutantur, priores illi, de quorum familia ipsi fratres extiterant, eorum libros, et uestes, si quæ fuerint, expensis monastery, in quo ipsi fratres, usque ad illud tempus steterint, usque ad locum in quo locati fuerint, deferri faciāt: similiter et fratribus ipsis pro expensis in itinere fiendis, ut opus est, moderatè prouideant.*

V*t autem commodius, et facilius huiusmodi necessaria fratribus fieri possint, uolumus, et inuiolabili decreto omnino fieri decernimus, ut in quolibet nostri ordinis conuentu, cum effectu sit unum commune depositum, in loco tuto, quod tribus uarijs clauibus claudatur, quarum una à priore loci, duæ vero aliæ à duobus senioribus de conuentu teneantur: in quo sanè deposito omnes pecuniæ de redditibus monasterij, omnesq; & singulæ pecuniæ, quæ ad manus procuratoris, & quoruncūq; aliorum fratrum, aut eleemosynis, aut quouis modo, & quauis causa, titulo, et colore uenerint, infra uiginti quatuor horarum spatium à receptione ipsarum, postquam ad conuentum redierint, de scitu prioris, sub pœna carceris deponantur: & in libro procuratoris distinctè, et qua de causa uenerint, scribantur: quatenus deinde, ut opus fuerit, fratrum necessitatibus, et communi conuentus utilitati prouideatur. Quòd si prior per procuratorem id facere neglexerit, facta in primis, ut decet, ipsi priori admonitione, ij duo seniores apud quos aliæ duæ ipsius depositi claues depositæ sunt, aliam clauem á priore sibi dari faciant, & ipsi duo ipsis fratribus, ex ipsius depositi pecunijs, in eorum necessitatibus prouideant. Et si cōtigerit in ipso deposito nullas esse pecunias, ipsi duo seniores nomine conuentus possint ab alijs mutuo accipere id, quod pro fratrum necessitatibus eorum prudenti discretioni uidebitur expedire: quatenus fratres ipsi die noctuque in uinca domini laborantes, liberiori, et expeditiori animo, ipsi soli* Deo *militare ualeant.*

E*t quoniam æquum est nostri ordinis senes speciali charitate tractari, decernimus; ut postquàm sexagesimum annum attigerint, ad tabulam per hebdomadam, et ad illas obedientias ordinis, quæ iunioribus dari solent, non cogantur: atq; ad mensam, in refectorio, indulgentiori cibo et potu pascantur.* Prior *autem, qui hæc humanitatis officia facere neglexerit, si semel, et bis de hoc admonitus, non se correxerit, tanquàm seuerus pastor, à pastoris officio per* Prouincialem *absoluatur.*

S*i quis autem frater aliquid ab alio, etiam minimum substulerit, à priore loci pro conditione delicti, ieiunijs, et disciplinis omnino efficaciter puniatur: si uero circa quantitatem, ualorem unius unciæ argenti alicui personæ, uel loco furtiuè substulerit, rem restituere compellatur, et pœnæ grauioris culpæ per duos menses omnino subiaceat. Si uero aliquis de quantitate maiori furtum commiserit, per sex menses incarceretur, et semper secunda, quarta, et sexta feria, in pane & aqua ieiunet.*

S*i quis autem calices, uel aliqua ecclesiæ ornamenta furari præsumpserit, uel furi super hoc auxilium præbuerit, pœnæ carceris mancipetur, nec inde liberetur, sine generalis, uel diffinitorum capituli prouincialis licentia speciali, et secunda, quarta, et sexta feria, in pane et aqua, donec ibidem steterit, sine dispensatione ieiunet.*

Si uerò frater aliquis furti laboret infamia, et post huiusmodi infamiam, in furto fuerit deprehēsus, aut de eo conuictus, uel confessus, postquàm extractus fuerit de carcere, in quo steterit, per sex menses habitu professorum, et uoce debeat ad triennium, sine dispensatione carere.

Prætereà, siquis exigentibus suis demeritis, fuerit in uinculis positus, aut carceri mancipatus; & aliquis de fratribus nostris, quicunque sit ille, ad fugiendum eum, uel inde extrahendum, per se, uel per interpositam personam, eidem dederit ullo modo, uel ingenia consiliū, auxilium, uel fauorem; ipse talis in eadem pœna ponatur: et idem iudicium de custodibus captiuorum, si per eorum negligentiam fugerint, obseruetur.

Fugiens autem de carcere, uel de alia pœna, cui pro culpis suis obnoxius erat, si postmodum redierit, uel capi poterit, in pœnis, in quibus erat, et in loco, uel in prouincia ubi erat, manere cogatur.

Incarcerati autem habitu, idest, caputia, scapularijs careant, quamdiu fuerint in carcere uinculati.

Quomodo apostatæ recipiantur, et de pœnitentia eorundem.
Cap. XLVII.

CVM doctrina apostolica suadente, quilibet in uocatione, qua uocatus est, ad cultum diuini obsequij, debeat immobilis permanere, statuimus, ordinamus, et præcipimus inuiolabiliter obseruari, ut nullus frater in nostro ordine Eremitarum sancti Augustini professus, debeat extra ipsum ordinem, sine debita licentia petita, & obtenta prioris generalis præmissi ordinis exire. Si autem fratrem aliquem, sine prædicta licentia ipsius prioris generalis, ordinem præscriptum exire contingat: illum primò, secundò, et tertiò monemus, inducimus, et hortamur, et eidem præcipimus per obedientiam salutarem, ut per totam diem, qua sine prædicta licentia generalis prioris ordinem prænotatum exiuit, et quam sibi pro peremptorio termino assignamus, ad ipsum ordinem redeat. Qui si illa die, ad præfatum ordinem non redierit, scientes ipsum ex hoc contumacem, et apostatam ordinis, autoritate priuilegij ab apostolica sede nobis indulti, trina monitione præmissa, in his scriptis, ex nunc, pro ut ex tunc, ipsum, licet inuiti, excommunicationis uinculo innodamus.

Nihilominus, siquis post factam in ordine nostro professionem apostatauerit (nisi eadem die redierit, paratus absque ulla contradictione subire ordinis disciplinam) prior suus statim citet eum, et ferat in eum publicè, nisi redierit, excommunicationis sententiam, in hac forma. Licet aliàs, per constitutionem ordinis, excommunicatus existat frater .B. fratrum Eremitarum sancti Augustini, prior talis loci, fratri .C. subdito suo eiusdem ordinis professo de inuio redire ad uiam. Cum tu ab obedientia nostra, et nostri ordinis, in quo professionem, morosa deliberatione fecisti, recesseris, licentia debita non petita, et obtenta, nos tuis dānis pio compatientes affectu, et salutis animæ tuæ commoda procurare, quantum in nobis est, cupientes: rogamus, et hortamur te, atque monemus primò, secundò, et tertiò, et in uirtute sanctæ obedientiæ tibi strictè præcipiendo mandamus, quatenus usque ad decem dies, quos tibi pro peremptoria termino assignamus, ad prædictū nostrum ordinem reuertaris. Nam parati sumus, salua ipsius ordinis disciplina, te recipere, & fraterna in domino charitate tractare. Si autem nostris monitis, et præceptis cōtempseris abedire, nos ex hoc scientes te esse contumacem: ex nunc, autoritate priuilegij, ab apostolica sede nobis indulti, te, licet inuiti, in his scriptis excommunicationis uinculo innodamus: contra te autoritate eadem, si obedire contempseris, durius processuri. In cuius rei testimonium præsentibus

sigillum

sigillum nostrum duximus apponendum.Data in tali loco, tali die, talis mensis, tali anno et c.

Si igitur frater pœnitentia ductus ad ordinem redire uoluerit, paratus subire omnem ordinis disciplinam, usque tertiò sibi porta misericordiæ non claudatur, nisi tale quid commiserit, propter quod ad receptionem eius in ordine reddiderit, suis exigentibus meritis, se indignum.

Modus autem receptionis eius est, ut si fuerit in habitu sæculari, exuat eum in hostio capituli, ubi recipiendus erit; et indutus tunica, ita quòd usque ad cingulum desuper nudus remaneat, cum uirgis in manibus, ante pedes prioris, in medio capituli se prosternens dicat Mea culpa*:atque surgens ad prioris mandatum,suam transgressionem confiteatur.Et ex tunc uapulet ad pedes primò prioris,et posteà sessorum utriusq; lateris.*

Iste, pœnam, quæ in capitulo de grauiori culpa est, pro prima apostasia, per mensem integrum sustinebit:possit tamen prior suus in silentio, cibo, et potu dispensare, præterquàm secunda,quarta, & sexta feria. Ad prioratum uerò alicuius loci,seu ad supprioratum, uel ad aliquam curam animarum, usque ad quinquennium, nullatenus assumatur.

Si uerò frater secundariò apostatauerit, supradicta pœna per duos menses puniatur:et tam pro prima, quàm pro secunda apostasia uoce careat, donec post annum, et non ante, fuerit cum eodem per generale, siue prouinciale capitulum dispensatum. Si uerò ad tertiam apostasiam deuenerit, per tres menses, pœnæ simili subiaceat, et per annum habitu careat, ad prioratum, et supprioratum, et ad alia officia ordinis nostri curam habentia animarum,ineligibilis permansurus:et uoce careat; donec cum eodem per duo generalia capitula dispensetur.

Et si ad quartam apostasiam deuenerit, ad ordinem nō recipiatur:sed licentiatus trāseat ad alium ordinem:nisi uelit,sine uoce perpetuò permanere.

Ille autem, qui cum scandalo de ordine exiuerit, uel in sæculo inhonestè conuersatus fuerit:si scandalum non fuerit, propter quod debeat incarcerari per mensem pœnæ grauioris culpæ subiaceat: & secunda, quarta, et sexta feria, in pane et aqua, sine dispensatione, ieiunet: et his tribus diebus, in capitulo recipiat disciplinam.Et cōpleto mense, primò ad habitum, et ad alias obediētias restitutus, ex tunc ad tres menses, quarta et sexta feria coram cōuentu in pane et aqua,in terra sedens sine dispensatione ieiunet, priuatus prædicatione et confessione, donec per generale capitulum cum eo fuerit dispensatum. Si receptores,qui secundum ordinem possunt recipere supradictos, prædictam formam non seruauerint, decem dies, infra duos menses, in pane et aqua ieiunent:et nihilominus, qui contra hanc formam receptus fuerit, uel punitus,ad pœnas supradictas in omnibus teneatur, et uoce in omnibus careat, donec pœnitentiam compleuerit, sicut est in præsenti capitulo assignata. Nullus autem in apostasia existens ad refectorium, et dormitorium fratrum,modo aliquo, sit admissus.

Item diffinimus, ut frater, qui tam modicum uidetur ordinem appretiari, uel ad ipsum affici, quòd ab ipso ordine petit licentiam:nisi infra duos dies à tali insania resipiscat, suam leuitatem uel inobedientiam corrigendo, omnibus libris, ac alijs rebus ab ordine sibi concessis priuatus, per mensem pœnæ grauioris culpæ cogatur penitus subiacere:et ea quibus priuatus fuerit, sua ingratitudine suggerente,alijs fratribus distribuantur.

Quæ sit leuis culpa. Cap. XLVIII.

LEuis culpa est, ut si quis, mox ut signum datum fuerit, non relictis omnibus ad ecclesiam ordinatè uenerit. Siquis in choro malè legendo uel cantando offendens, nō statim se humiliauerit, terramq; manu tetigerit, et surgens pectus suum percusserit. Siquis diuino non intentus officio, uagis oculis, et motu irreligioso ostenderit leuitatem. Siquis in ecclesia, uel dormitorio, uel cellis, inquietudinis aliquid fecerit. Siquis lectionem, uel cantum, statuto tempore non præuiderit. Siquis aliud legere, uel cantare præsumpserit, quàm habuerit communis usus. Siquis discooperto capite steterit. Siquis dissolutè ridens, cachinnis, uel ludis, dictis, uel factis alios concitauerit ad ridendum. Si oculos per plateas, uel uillas eundo ad uanitates direxerit. Si in uigilia annunciationis, et natiuitatis domini, in principio capituli per negligentiam non affuerit, et pronunciatis redemptoris nostri primordijs, dicendo, Deo gratias, se in terram non prostrauerit. Siquis aliquem locum exiens, plus una nocte moraturus, et uadens et rediens, benedictionem accipere neglexerit. Siquis ad lectionem in choro dormierit. Si temporibus statutis, eum alijs auditurus lectionem, nō affuerit. Siquis altare, uel ornamenta ecclesiæ negligenter tractauerit. Siquis uestes suas, uel libros, statuto loco non reposuerit. Si quis aliquid utensiliū fregerit, uel perdiderit. Siquis potū uel cibū effuderit, uel sine benedictione sumpserit. Si liber, in quo legendum est, cuiusquam neglectu defuerit. Siquis in cōuentu, uel ad capitulum, seu ad collationem, uel ad communem refectionem non interfuerit. Siquis eum, à quo accusatus fuerit, eodem die, quasi se uindicando, accusare præsumpserit. Siquis cum iuramento aliquid negauerit, uel affirmauerit. Siquis turpem sermonem, uel uaniloquiū dixerit. Siquis eorum, qui in officijs deputati sunt, in aliquo negligens repertus fuerit.

Pro supradictis iniungitur psalmus cum disciplina, uel amplius, si priori uidebitur expedire. Huic pœnæ subiaceat, qui silentium fregerit, uel pro uictu, et uestitu murmurauerit.

Quæ sit grauis culpa. Cap. XLIX.

GRauis culpa est, si quis inhonestè in audientia sæcularium, cum aliquo fratre, uel sæculari contenderit. Si frater cum fratre, intus uel foris, lites habuerit. Siquis alicui fratri, uel sæculari opprobrium dixerit. Siquis mēdacium ex deliberatione dixisse deprehensus fuerit. Siquis fratri præteritam culpam, pro qua satisfecit, improperauerit. Siquis silentium non tenere in consuetudinem duxerit. Siquis in cameris priuatis ipsum silentium fregerit. Siquis culpam suam, uel aliorum sedendo defenderit. Siquis inter fratres discordiam seminauerit. Siquis accusans in accusatione sua iurgium fecerit. Siquis in illum, à quo accusatus est, uel in quemlibet alium, minas, uel maledicta, seu uerba inordinata, et irreligiosa protulisse deprehensus fuerit. Siquis mala de prioribus, uel fratribus, seu conuentualibus suis malitiosè euomuerit: quæ testimonio fratrum suorū probare nequiuerit. Siquis procedens, ubi fœminæ sunt, oculū fixerit (si tamen hoc in usu habuerit) uel cum fœmina solus, non de cōfessione locutus fuerit, nisi breuiter interrogās, uel respōdens aliquid petierit, uel responderit. Siquis ieiunia ab ecclesia instituta fregerit.

Pro huiusmodi culpis, et similibus, ueniā petētibus, et nō accusatis tres disciplinæ dētur in capitulo, et tres dies in pane et aqua ieiunēt: accusatis uero, una dies, et una disciplina superaddatur. Et præter huiusmodi plus aut minus, secūdū quòd discretioni prioris uisum fuerit, pro qualitate cul-

parum

parum iniũgatur. Eadem pœna digni ſunt, qui poſtquàm miſſi fuerint, in contemptum obedientiæ, ſine licentia, ante terminum reuerti præſumpſerint, uel ultra terminum ſibi aſſignatum, moram fecerint.

Quæ ſit grauior culpa. Cap. L.

GRauior culpa eſt, ſi quis per contumaciam, et manifeſtã rebellionem, priori ſuo per diem integrum inobediens extiterit: uel cum ea intus, uel foris, proterue, ideſt peruerſè perſiſtens in ſua duritia, ſaltem per diem, non acquieſcens ueritati, poſtpoſita omni reuerentia, et paternali timore, quaſi de pari contendere auſus fuerit. Siquis mortale peccatum manifeſtè commiſerit. Siquis procurauerit, quòd ipſe, uel alius ab obedientia prioris generalis eximatur. Siquis rem ſibi collatã receperit, de ijs quæ prohibentur recipi, uel collatam celauerit, quem beatus Auguſtinus dicit eſſe furti iudicio condemnandum.

Siquis pro huiuſmodi accuſatus conuictus fuerit, et ſponte crimen ſuum confiteatur, denudatus uapulet, quantum priori uidebitur expedire, ad pedes ſingulorum, et ſit omnium nouiſſimus in cõuentu. In refectorio, ad communem menſam cum alijs non ſedebit, ſed in medio refectorij interra ſedens, super nudam tabulam comedet, et prouidebitur ei groſſior panis, et potus aquæ: niſi ei prior aliquid per miſericordiam impendat. Ad canonicas horas, et ad gratias poſt comeſtionem, ante oſtium eccleſiæ, tranſeuntibus fratribus, iaceat, dum intrant, et exeunt. Nullus itaque audeat ſe coniungere illi, uel aliquid mandare. Prior tamen, ne in deſperationem labi poſſit, mittat ad eum ſeniores, qui moneant eum ad pœnitentiam, hortentur ad patientiam, et ſatisfactionem. Et ſi uiderint in eo cordis humilitatem: totus conuentus roget pro eo, et non renuat prior cum eo facere miſericordiam, et, ſi uidebitur, uapulet denuo ad pedes ſingulorum, primò prioris, deinde utriusq; lateris ſeſſorũ. Talis quandiu erit in hac pœnitentia, non cõmunicet, nec ueniat ad oſculum pacis, nec uocetur, uel ſcribatur ad aliquod officium in eccleſia, quamuis ad officium ſtare poſſit, nec ulla ei, niſi ſeruitutis, committatur obedientia, nec habitum religionis portet, ante plenariam ſatisfactionem. Si uerò ſit ſacerdos, diaconus, uel ſubdiaconus, ſeu prædicator, his officijs non fungatur, niſi poſtmodum religioſé fuerit conuerſatus.

Siquis per conſpirationem, uel malitioſam concordiam, aduerſus priorem ſuum manifeſtè ſe erexerit: modo ſupradicto pœniteat, et uocem in capitulo non habeat, donec per generale capitulum fuerit ſecum diſpenſatum.

Quicunque uerò pœnitentiam grauioris culpæ portat, iuxta ordinis inſtituta, donec ipſam pœnitentiam compleat, à primo die uſque ad ultimum, careat habitu profeſſorum.

Fratres uerò, qui in medio refectorij, ſuper nudam tabulam in terra ad manducandum ſedere debent, ita de ſero, ſicut de mane, tempore quo conuentus bis in die reficitur, ſedeant.

Quæ ſit grauiſſima culpa. Cap. LI.

GRauiſſima culpa, eſt incorrigibilitas illius, qui culpas nõ timet cõmittere, et pœnas ferre recuſat; de quo dicitur in regula, ut ſi ipſe non abſceſſerit, de ueſtra ſocietate proyciatur, ſecundum apoſtolum, qui hæreticum hominem, poſt adhibitam trinam monitionem, et incorrigibilitatem patefactam deuitari iubet, tanquam pec-

cantem peccatum ad mortem: quoniam subuersus est, qui huiusmodi est.

Hic quidem habitu exutus, sicut à corde professionem abiecit, sic et professionis habitum deponere cogatur: si tamen usque ad horam illam sani capitis, et integri sensus extiterit. Nam sub qualibet occasione, alicui non est danda licentia recedendi, ne canonica disciplina ueniat in contẽptũ, dum habitus canonicæ religionis despicitur in indignis. Si uerò in aliquo casu frater aliquis erit ab ordine licentiandus, solum ad generalem priorem hoc facere pertinebit.

De ordinatione conuentus, et officio procuratoris Romanæ curiæ. Cap. LII.

Quia ordo potest de familia conuentus Romanæ curiæ nota oneris & scandali nõ modica denotari, ad ordinationem eius est deliberatione, et diligentia præuia procedendũ. Statuimus igitur inuiolabiliter obseruari, ut in ipso loco curiæ à priore generali ponatur frater aliquis pro priore, quem fama et uita probet laudabilem, et longæua, et religiosa eius conuersatio, ordinis zelatorem. Sit autẽ ad minus tanta literatura instructus, quod, cum oportuerit, latino sermone sufficienter possit in omnibus respondere. Familia quoque tam studij, quàm fratrum de conuentu, ab eodem priore generali ex toto ordine deligatur, in qua fulgeat doctrina, et morum honestas tanta, quanta esse debet in oculis uicarij Domini nostri Iesu Christi, et sacrosancti Cardinalium senatus, ac tot prælatorũ, qui quotidie Romanam curiam frequentant.

Vita quoque eorum, scilicet, prioris et fratrum dicti conuentús, et omnium aliorum in eodem existentium, seu declinantium, in cibo et potu sit communis, ita quod, in nulla singularitate uictus, ac specialitate loci, ad reficiendum, possit, sine euidenti et rationabili causa, prior conuentualis, seu prouincialis cum aliquo dispensare.

Prætereà in generali capitulo prior generalis et diffinitores ipsius generalis capituli, pro procuratore curiæ unum fratrem ponant, qui uitæ et famæ laudabilis in ordine semper fuerit, et facundiã latini sermonis habeat, et uulgaris; ad cuius officium præter alia, pertinet sermonem in capella Domini Papæ in aduentu & quadragesima facere. Qui omnia negocia nostræ religionis, in quocunque casu ipsam Romanam curiam contingentia, autoritate præsentis constitutionis agere, & prosequi in omnibus, et singulis plenariè possit, consilio tamen patris generalis, ac aliquorum discretorum fratrum, quos ad hoc per obedientiam uocauerit, cum opus fuerit, in arduis negocijs reseruato. Eidem quoq; procuratori omnes, et singuli fratres ad locum curiæ declinantes, literas obedientiæ præsentent, et infra secundum diem post eorum aduentum, causam totam pro qua uenerunt, aperiant, et exponant, et tam in his, quam in alijs ipsi procuratori obediant, et secundum eius cõsilium, et mandatum se regant. Quòd si quis ad curiam accedat sine debita licentia, pœnam apostasiæ se nouerit ipso facto incurrisse, de qua iudicare habebunt procurator ordinis cum priore, et magistro in curia memorata. Similiter si causam aliquam uel supplicationem præsumat præponere in curia sine scitu, et uoluntate prædicti procuratoris, pœnam subeat grauioris culpæ per duos menses. Præcipimus quoq;, quòd nullus frater præsumat rebellibus sanctæ matris ecclesiæ fauorem præbere, aut eorum ambasciatas, et negocia gerere, sub pœna carceris, quam huiusmodi facientem uolumus ipso facto per sex menses sustinere. Nullus quidem tam de forensibus, quàm de conuentualibus fratribus omnibus, ad curiam domini Papæ, nec ad ostium alicuius Cardinalis, nec etiam ad hospitium camerarij, uicecancellarij, notariorum, auditoris contradictarum, pœnitentiariorum,

tiariorum, capellanorum, uel alterius curialis, uel officialis, seu quoruncunq; prælatorum in Romana curia existentium, personaliter accedere, uel mittere sine licentia ipsius procuratoris, audeat ullo modo. Priori tamen, uel suppriori ipsius conuentus, liceat dominũ papam, et uniuersos cardinales, ac etiam alios curiales, interdum pro deuotione et beneuolentia eorum captanda, et retinẽda uisitare, et pro eleemosynis conuentus duntaxat petendis, ut moris est aliorũ religiosorum, ire, uel mittere: alioqui nihil prior uel supprior, seu aliquis alius frater ordinis pro se, uel pro ordine, seu pro aliqua alia persona, uel loca petere, uel impetrare, uel procurare præsumat, sine ipsius procuratoris conscientia, et licentia speciali. Illum sanè qui aliter aliquid petere, procurare, uel impetrare præsumpserit, tanquam temerarium preuaricatorem mandatorum corrigat, et increpet, secũdum quòd sibi delicti merita suadebunt, rigore constitutionum seruato. Ipse porrò procurator habeat unum socium, ac etiam unum famulum, quibus ab ipso conuentu uictus suggeratur; cum autẽ ad curiam, seu aliò ire uoluerit, fratrem aliquem de forensibus secundũ suã uoluntatem accipiat. Qui si de conuentualibus ducere, uel cum aliquo forense fratrem aliquẽ mittere uoluerit, illũ per aliquem fratrem à priore uel suppriore petat. In casibus tamen repentinis, et improuisis superuenientibus, et inopinatis, qui nullam dilationẽ patiuntur, recipiat socium ad uotum, quoties talis necessitas apparebit, sine conscientia et requisitione prioris. Illos nempè qui in eundo ad curiã, uel ibidem stando, aliquid dicto, uel facto commiserint, propter quod possit ordini scandalum aliquod exoriri, uel ipse ordo nota infamiæ denigrari, corrigat, et puniat, secundum quòd culpa delictorũ requirit: propter quod, præter carcerem conuentus curiæ, ipse procurator ordinis habeat unum alium carcerem firmum, cum compedibus, et catenis, ac manicis ferreis pro apostatis, et scandalosis fratribus, in conspectu curiæ ordinem denigrantibus, inibi detrudendis; excessus tamen infra locum commissos, disciplinæ prioris, uel supprioris in omnibus relinquat.

Siquando autem conuentus curie à fratribus forensibus nimium grauaretur, aliquibus de eis sibi utilioribus retentis, alios ad loca circumadiacentia mittat, in quibus morentur, donec ipsi procuratori uisum fuerit expedire. Cum ergo in omnibus, quæ de factis ordinis in romana curia uentilantur, ordo totus in prouidẽtia, et circunspectione procuratoris quiescat, omni solicitudine, et prouidentia in promotione, et expeditione ipsorum negociorum uigilet, et persistat, ne irrecuperabiliter pereat ordini, quod debebat sua solicitudine procurari. Igitur eidem procuratori prior, et supprior, et cæteri alij fratres de conuentu, tanquam legitimi suæ religionis filij, in opportunitate obediant, et assistant.

De frequenti lectione constitutionum, et præcisa earundem obseruatione. Cap. LIII.

Qvemadmodum beatissimus pater Augustinus in regula mandauit, ut semel in septimana legeretur, adhoc ut fratres in ea tanquam in speculo se possent inspicere, et nihil per obliuionẽ negligere, id quod omnibus sextis ferijs ubiq; seruandum est, sic congruum nobis uidetur, ut præsentium constitutionũ tam frequens sit lectio, ut nullus sit in ordine nostro frater, qui eas ignoret, aut per ignorantiã transgrediatur. Volumus iccirco, ut cotidie in mensa, præterquàm feria sexta, in qua post regulam aliquid de expositione legatur, post primam lectionẽ, quæ sit ex sacra scriptura, aliquid de præsentibus constitutionibus prior, uel ipse legat, uel ab alio legi faciat; et si fratres affuerint, qui latinũ sermonẽ non intelligãt, interpretetur lingua, quã omnes percipiant: quod intelligentibus molestũ ex fraterna charitate

esse non debet, cum non alta sapere, sed humilibus consentire debeamus omnes. Magister quoque nouitiorum nouitijs seorsum, uel de constitutionibus, uel de ordinario cotidie aliquid legat, & obseruare doceat.

Prior autē prouincialis, et uisitato res de hac frequenti lectione semper inquirant, et siue priorem, siue magistrum nouitiorum in hoc delinquentem inuenerint, debita punitione castigent.

Volumus insuper, ut nulli priori neque locali, neque prouinciali aliquid in his constitutionibus uel mutare, uel addere liceat, aut minuere: sed neque uicarij generales, aut uisitatores, quantacunque autoritate polleant, ad arctiora et rigidiora fratres compellere possint, sub ullo reformationis praetextu. Nam sub specie boni, ambitioni ac superstitioni seruiunt nonnulli, uolentes esse legum nouarum latores, et uitae rigidioris introductores, ignorantes ea quae loquuntur, et de quibus affirmant. Sunt enim superiores ordinis legum ministri, & executores, subiecti et ipsi quoque legibus, non nouarum legum inuentores, et ueterum censores.

Verùm cum sciamus quàm difficile sit tot nationum homines, quot sunt in ordine nostro, in easdem uitae, et morum leges conuenire posse: sciamus quoque multos esse maiore spiritus gratia afflatus, qui meliora seruare possint, et esse in seruanda religione seueriores: multos item, quibus haec nimis dura uidebuntur: uolumus, ut quaelibet prouincia, seu congregatio diffinire sibi peculiaria aliqua statuta possit: quae tamen nullius sint ualoris, nisi prius per priorem generalem fuerint confirmata. Similiter, si qua prouincia aliquid de praesentibus constitutionibus, uel mutare, uel non obseruare, melius sibi duxerit, id sine prioris generalis autoritate non faciat: ad quem solum pertinere uolumus harum omnium constitutionum, pro cuiusque prouinciae exigentia, moderationem.

Post regulam ergo, omnes in hoc libello, tanquam in speculo inspiciamus, et ubi nos inuenerimus ea quae scripta sunt facientes, agamus gratias domino, bonorum omnium largitori. Vbi autem uiderimus aliquid deesse, doleamus de praeterito, caueamus de futuro; orantes ut nobis debitum dimittatur, et in tentationem non inducamur. Amen.

Expliciunt Constitutiones ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini.

TABVLA OMNIVM CENSVRARVM, ET GRAVIO= rum pœnarum, quæ in constitutionibus continentur.

Qui sint priuandi officio.

Supprior, sacrista, ac procurator conuentus fines autoritatis, quam in eorum officijs prior commi serit excedentes, et moniti semel, secundò, et tertiò in capitulo corã cõuẽtu ulterius id attentare præsumẽtes, à priore propria autoritate poterũt ab eorũ officijs amoueri. Cap. VIII.

Qui in troduxerit mulieres in loca nostra probibita omni gradu, et officio careat, donec per duo ge neralia capitula dispensetur. Cap. XIII.

Prior, qui non sæpe uisitat infirmos, aut non sollicitè eis seruire facit, et prouideri, à patre prouin= ciali priuetur officio. Cap. XIIII.

Recipiens aliquem ad ordinem, et non inquirens ab eo publicè an aliquo defectu, de expressis in ca= pitulo de recipiendis ad ordinem, detineatur. Cap. XVI.

Prior, qui in aliquo de decem & septem inibi expressis casibus deliquerit. Cap. XXXIII.

Prouinciales, et priores, qui suspectos de hæresi, uel ea de causa in ius uocatos in prouincijs et con= uentibus, quibus præsunt retinuerint, officio priuentur. Cap. XXXVIII.

Prior, qui semel, uel bis admonitus senes sexagenarios non tractauerit ut decretum est. Cap. XLVI.

Qui sint priuati officio.

Superior recipiens ad ordinem aliquem minorem quatuordecim annis. Cap. XVII.

Qui aliquem ad ordinem simoniacè receperit. Cap. eo.

Superior, qui fratrem non deputatum ad audiendas confessiones, audire confessiones sæcularium per= miserit. Cap. XXXVIII.

Prior generalis, qui non iuerit ad capitulum, neq; uicariũ miserit cũ sigillis. Cap. XLI.

Sacerdos, qui conuictus fuerit confessionem aliquo modo reuelasse, officio, et autoritate audiendi confessiones est priuatus. Cap. XLIIII.

Accusans aliquem de falso coram aliquo prælato, uel officiali, aut falsum testimonium dans uel dari faciens, officio prædicationis, et lectoriæ, si lector fuerit, perpetuò careat, nisi cum eo per duo ge= neralia capitula dispensetur. Cap. XLV.

Priores, qui fratribus de uictu et tegumento, prout cuiq; opus est, non prouiderint, sint, ipso facto, priuati officio. Cap. XLVI.

Priores, nõ redigẽtes omnia in rẽ cõmunẽ, sint, ipso facto, priuati officio. Cap eo.

Qui sint suspendendi ab officio.

Prior, qui ordinem officij ut in capitulo tertio signatum est, non obseruauerit, pro secunda uice ab officio suspendatur. Cap. III.

Fratres, qui sine licẽtia superioris, et causa rationabili, et manifesta, omittũt cõmunicare singulis die bus ad id specialiter deputatis, ab omni officio, et suspẽdãtur. Cap. XI.

Prior, qui nõ sæpe uisitat infirmos, aut non sollicitè eis seruiri facit, et prouideri, suspendatur à ui sitatoribus. Cap. XIIII.

Superior sine causa euidẽti uadẽs, aut sine magna necessitate cõcedẽs licẽtiã eũdi de loco ad locũ per prouinciã, uel extra illã, à prouinciali, et uisitatoribus ab officio suspẽdatur. Cap. XXI.

Qui sint suspensi ab officio.

Sacerdos ad audiendas confessiones clericorũ, cõuersorũ, et nouitiorũ non admissus, si quẽ ipsorum

in cõfessione audierit, per triẽniũ ab officio audiẽdi cõfessiones sit suspẽsus. Cap. IX.

Sacerdos egressus ad audientiam confessionum mulierum, nisi formam sibi datam seruet, per annum ab audientia confessionum sit suspensus. Cap. X.

Superior localis uadens extra conuentum, aut alius frater absq; socio, nisi in casu arduo, suspensus est ab officio suo. Cap. XXI.

Priores non seruantes quod de tonsura, et rasura decretum est. Cap. XXVIII.

Prior localis ferens sententiam excommunicationis sine licentia patris generalis in scriptis habita, per triginta dies ab exequutione officij sui suspensus est. Cap. XXXII.

Qui sint inhabiles ad officia.

Superior loci, qui aliquem ad ordinem simoniacè receperit, ad curam animarum ineligibilis sit, donec cum eo per duo generalia capitula fuerit dispensatum. Cap. XVII.

Prior, qui ad capitulum non iuerit, aut iustam habens excusationem non eundi, sigillum non miserit, ad curam animarum per quinquennium ineligibilis permanebit. Cap. XXXII.

Prior inuentus per se, uel per alium procurare, ut ad prioratum eligatur, uel confirmetur, ineligibilis sit ad prioratum per triennium. Cap. eo.

Prior, qui suos discursus moderatus non fuerit, ad prioratus officium eligi non potest. Cap. eo.

Prior, qui debitum sine licentia conuentus contraxerit, ad omne officium ordinis est ineligibilis, donec per generale capitulum dispensetur. Cap. eo.

Prouincialis, qui iustã nõ habẽs excusationẽ, ad capitulũ prouinciale ire contẽpserit, ab illo capitulo usq; ad decẽniũ, ad omne officiũ cũ cura animarũ ineligibilis permanebit. Cap. XXXIII.

Superior promouens ad sacros ordines nescientem legere psalterium et missale, si sextis ferijs in pane et aqua ieiunare per annũ noluerit, per trienniũ ad omne officium cũ cura animarum est ineligibilis. Cap. XXXIIII.

Prouincialis promouẽs, aut cõfirmãs aliquẽ in priorẽ, qui nesciat distinctè legere breuiariũ et missale, ad quinquenniũ ineligibilis est ad curã animarum Cap. eo.

Prouincialis, qui fratres sine necessitate mutauerit, si sex dies infra mensem non ieiunauerit in pane et aqua, à proximo sequenti capitulo prouinciali usq; ad aliud capitulum prouinciale sequens, est ineligibilis ad curam animarum. Cap. eo.

Visitatores, qui munera acceperint, triennio sunt ineligibiles. Cap. XXXVI.

Diffinitores præcedẽtis capituli, nõ possũt esse diffinitores sequẽtis imediatè. Cap. XXXIII.

Qui ad prædicandum contra formã cõstitutionũ iuerit, præter alias pœnas, officio prædicandi perpetuò priuetur. Cap. XXXVIII.

Prior generalis munera accipiẽs, ad omne officiũ est perpetuò ineligibilis. Cap. XLI.

Qui supradictã constitutionem obseruari non fecerint, ad quinquennium sunt ad curam animarum ineligibiles. Cap. eo.

Qui patri generali nõ obedierit, et per duos dies integros pertinax fuerit, sit ineligibilis ad curam animarum. Cap. eo.

Destruẽtes, aut falsificãtes, uel alienãtes, aut occultãtes priuilegia, uel instrumẽta publica in fauorem ordinis, aut alicuius loci, aut personæ facta, ad omne officium ordinis per triennium inhabiles permanebunt. Cap. XLIII.

Qui ultra ter in fratrẽ manus iniecerit temerè uiolẽtas, etiã leui læsione, ad omne officiũ ordinis inhabilis permanebit, donec cũ eo per generale capitulũ fuerit dispẽsatũ. Cap. XLIIII.

Qui in

Qui in suum priorem uel prælatum manus iniecerit temerè uiolentas, et qui iniectionis huiusmodi suasor, uel conscius fuerit, ad omne officiū cū cura animarū erit ineligibilis. Cap eo.

Apostata pro prima et secunda apostasia, ad omnem curam animarum per quinquenniū nullatenus assumatur, pro tertia uerò sit penitus ineligibilis. Cap. XLVII.

Qui sint inabiles ad prouincialatum

Quilibet frater qui apostatauerit, aut de aliquo uitio notabili in religione fuerit conuictus uel confessus, aut nesciat loqui latinè, adeò est inhabilis, quòd si fuerit electus, electio erit nulla. Cap. XXXIII.

Qui bis quocūq; tempore apostatauerit, ad prædictum prouincialatus officium ineligibilis, sine aliqua dispensatione permanebit. Cap. eo.

Qui pœnam talionis incurrāt.

Ex sola suspitione accusans aliquem, aut in probatione deficiens, pœnam sustinere cogatur, quam accusatus, si de obiecta sibi culpa conuictus fuisset, portare debuisset. Cap. V.

Absoluens à casibus capituli noni, puniatur ita, ac si ipse crimina illa perpetrasset. Cap VIII.

Quicunq; de priore, uel de fratre aliquo sciuerit aliquid, quod in animæ eius præiudicium, aut ordinis scandalum emergere possit, nisi eum monuerit, et si monitus neglexerit corrigi, non indicauerit, pœnam, quam culpa illius exigit, sustinere cogatur. Cap. XXXVI.

Qui sint priuandi rebus ad usum concessis.

Qui aliquid habuerit quod priori loci à quo recedit non ostenderit, aut scriptum manu propria, aut sigillo prioris obsignatum, priori ad quem uadit non præsentauerit, rei illius usum amittit. Cap. XXVI.

Qui ab ordine discedendi licentiam petierit, nisi infra duos menses resipuerit, et libris, et alijs rebus ab ordine sibi concessis priuandus est. Cap. XLVII.

Qui debent comedere in terra.

Veniens de extra ad locum nostri ordinis, si diuerterit ad domum sæcularium, uel religiosorum, & ibi tantum comederit, octo diebus in terra sedeat. Cap. XXI.

Intrans in cellam alterius, aut alium in suam intrare permittens sine licentia prioris de die, quindecim diebus in terra pœniteat, intrans uerò de nocte pœnitentiā prædictam sustineat duplicatam. Cap. XXV.

Qui sint remouendi de loco.

Siquis alicui crimen obijcit asserens se illud scire, ut qui fuerit cōscius et particeps criminis, quod etiam iuramento se ingerat affirmare, si iste obyciens usque tunc laudabilis et sanctæ conuersationis extiterit, & de eo cui obycitur crimen, quòd aliquod simile aliàs commiserit apud graues personas ordinis sit opinio læsa, licet non procedatur ad pœnam, nihilominus de loco ubi tale quid cōmisisse dicitur, remoueatur, et in alio loco collocetur. Cap. V.

Qui pluries de nocte in cellam alterius sine licentia intrasse, aut alium in suam admisisse conuictus fuerit, aut confessus, de illo loco remoueatur. Cap. XXV.

Qui schismata suscitauerit inter fratres, aut contra priores malitiosé se erexerit, aut extraneis secreta capituli reuelauerit, uel alicui personæ familiaritate conūctus est, quam ipse non uult deserere, et sine scandalo tenere non potest; seu crimen aliquod graue, commiserit per quod scandalum generauerit, aut generare posset in populo, et sui conuentus, aut fratrū loci turbare, uel impedire quietem. Cap. XXXV.

Quicunque enormi læsione atrocem iniuriam in personam clericali priuilegio decoratam intulerit, siue ratione læsionis, siue personæ, siue loci, læsio ipsa iure reddatur enormis, secunda, quarta, & sexta feria ieiunet in pane et aqua, sine dispensatione, donec in carceribus fuerit.
Cap. eo.

Diffamans aliquem per rhythmos, cantilenas, cedulas, uel libellos, sextis ferijs per annum in pane et aqua ieiunet. Cap XLV.

Emens aliquid sine prioris licentia (excepto procuratore) ter infra octo dies in pane & aqua ieiunet. Cap. XLVI.

Frater, qui furtum, quod unciam argenti excedat fecerit, per sex menses secunda, quarta, & sexta feria in pane et aqua ieiunet. Cap. eo.

Frater, qui calices uel alia ecclesiæ ornamenta furatus fuerit, aut furi opem tulerit, donec in carcere steterit, secunda, quarta, et sexta feria in pane et aqua sine dispensatione ieiunet.
Cap. eo.

Qui aliquid de contentis in capitulo quæ sit grauis culpa, commiserit, ueniã petens tribus diebus in pane et aqua ieiunet, accusatis uerò una dies addatur. Cap. XLIX.

Qui sint priuandi uoce.

Prior, qui ordinem officij in tertio capitulo signatum non obseruauerit, pro tertia uice admonitus, uoce utraq; et officio careat per triennium. Cap. III.

Qui introduxerit mulieres in loca prohibita per constitutiones, utraq; uoce careat, donec per duo generalia capitula fuerit cum eo dispensatum. Cap. XIII.

Prior, cuius defectu domus hospitum in conuentu non fuerit, uoce utraq; triennio careat.
Cap. XXI.

Prior localis dans licentiam fratri eundi de loco ad locum per ordinem nostrum aut extra, sine magna necessitate, aut sine literis testimonialibus, et ipse prior uadens sine causa euidenti, uoce priuentur. Cap. eo.

Priores, qui non significauerint patri generali, quatenus regentes, baccalarij, lectores, et magistri studentium, non frequenter celebrãt, uoce utraq; quadriẽnio sunt priuãdi. Cap XXXVII.

Qui miserint aliquem ad prædicandum contra formam constitutionis, uoce actiua, et passiua priuentur, donec per duo generalia capitula cum eis fuerit dispensatum. Cap. XXXVIII.

Qui patri generali non obedierit, et per duos dies naturales pertinax fuerit, uoce per triennium careat. Cap. XLI.

Qui sint priuati uoce.

Qui ædificia magni sumptus, sine licentia patris generalis uel prouincialis fecerint, uoce actiua et passiua careant, donec per capitulum generale dispensentur. Cap. II.

Frater clericus in priuata locatione cum mulieribus repertus contra formam constitutionum, uoce careat, donec cum eo fuerit dispensatum. Cap. eo.

Euntes ad balnea, uel stuffas sine licentia prouincialis in scriptis habita, per duos menses uoce careant. Cap. XIIII.

Frater singularis aliquem de facto ad ordinem recipiens, uoce careat, donec cum eo per generalem fuerit dispensatum. Cap. XVII.

Prior localis, et etiam frater priuatus, qui aliquem ad ordinem simoniacè receperit, uoce careat per quinquennium. Cap. eo.

Nouitij etiam, usq; ad triennium in religione completum, uocem non habeant in electione prioris,

fupprioris, uel difcreti. Cap. XIX.
Conuerfi in nullam electionem uocem habeant. Cap. eo.
Fratres hofpites uocem non habeant in capitulo cōuētus, in quo hofpitantur. Cap. XX.
Subditus uadens extra conuentum abfq; focio fratre, uel conuerfo, uoce priuatus eft per annum. Cap. XXI.
Procurans uocem pro fe uel alio fratre ad curam animarum, uel ad aliquod officium ordinis eligendo, uoce careat per triennium. Cap. XXXI.
Qui aliquid operatus fuerit, propter quod uota fratrum, nil addito, uel diminuto, ad præfidentem, et diffinitores capituli non perueniant, per annum uoce careat. Cap. eo.
Quicunq; alienauerit, impignorauerit, aut obligauerit librum ad ufum chori, uel Bibliothecæ deputatum, calicem, crucem argenteam, et huiufmodi, uoce careat actiua et paffiua, donec cum eo per priorem generalem difpenfetur. Cap. XXXIX.
Qui cum fcandalo læfionem enormem, in perfonam clericali priuilegio decoratā intulerit, poftquā de carcere extractus fuerit, uoce careat per quinquennium. Cap. XLIIII.
Scribens aut mittens literas, in quibus nomen fuum, aut cognomen, aut faltem patriæ, uel loci fuæ natiuitatis non fit clarè defcriptum, uoce careat per annum. Cap. XLV.
Accufans aliquem de falfo coram aliquo prælato, uel officiali ordinis, aut alio principe, uel prælato, aut falfum teftimonium dans, uel inducens, aut dari faciens, uoce careat in perpetuum, nifi cum eo per duo generalia capitula fuerit difpenfatum. Cap. eo.
Scribens, aut mittens, uel mitti faciens, aut procurans, uel confentiens literas infamatorias, aut per quas poffint ordinis, aut alicuius fratris fecreta fciri, alicui perfonæ, exceptis fuperioribus, ad quos illorū correctio de quibus fcriberet, pertineret, uoce per ānū careat. Cap. eo.
Diffamans aliquem per rhythmos, aut cātilenas, uel libellos aut, cedulas feu defcriptiones in quouis loco, etiam in parietibus defignatis, uoce careat per annum. Cap. eo.
Priores, qui omnia donata, relicta, miffa fratribus, uel ab eis acquifita in rem comunem non redegerint, uoce actiua et paffiua per triennium careant. Cap. XLVI.
Priores, qui fratribus de uictu, et tegumento, prout cuiq; opus fuerit non prouiderint, uoce actiua et paffiua biennio careant. Cap. eo.
Priores, qui omnia quomodocunque acquifita in rem communem non pofuerint, uoce careāt per triennium. Cap. eo.
Apoftata pro prima et fecunda apoftafia uoce careat, donec fuerit cum eo per generale, fiue prouinciale capitulum, poft annum, difpenfatum, pro tertia uerò, donec cum eo per duo generalia capitula difpenfetur. Cap. XLVII.

Qui pœnam grauioris culpæ incurrant.

Euntes ad balnea et ftuffas fine licentia prouincialis in fcriptis habita, pœnæ grauioris culpæ fubiaceant duobus menfibus, et fimiliter qui eis licentiam dederit. Cap. XIIII.
Prior localis, et quicunque frater priuatus, qui aliquem ad ordinē fimoniacè receperit, per tres mēfes pœnæ fubiaceat culpæ grauioris. Cap. XVII.
Prior non recipiens hofpites fratres charitatiuè pro loci poffibilitate, per quindecim dies, pœnam fubeat grauioris culpæ. Cap. XX.
Qui procurauerit eligi camerarius, uel maffarius alicuius communitatis, luat per menfem. Cap. XXX.
Qui aliquid fecerit propter quod uota fratrum, nil addito, uel diminuto ad præfidentem, et diffinitores

nitores non peruenerint, per duos menses subiaceat. Cap. XXXI.

Qui in correctionibus recurrerit ad iuristas, per quindecim dies det pœnam prædictam. Cap. XXXV.

Qui contra præceptum, aut sententiam, diffinitorum uisitatorum, uel patris generalis pertinax probabiliter inuentus fuerit, duobus mensibus subiaceat. Cap XXXVI.

Quicunque alienat, impignorat, uel obligat librum, ad usum chori, uel bibliothecæ deputatum, aut calicem, et huiusmodi, per duos menses dictæ culpæ subiaceat. Cap. XXXIX

Qui patri generali non obedierit, et per duos dies pertinax fuerit, per mensem subeat dictam pœnam. Cap. XLI.

Destruens, aperiens, uel occultans literas alicuius officialis nostri ordinis, per mensem subiaceat. Cap. XLIII.

Falsificans literas prædictorum officialium, tribus mensibus. Cap. eo.

Destruens, uel falsificans priuilegia, uel instrumenta publica, in fauorem ordinis, uel alicuius loci, aut personæ facta, tribus similiter mensibus subiaceat. Cap. eo.

Qui irato animo alicui percussionem minatus fuerit per quindecim dies subiaceat. Cap. XLIIII.

Qui eodem animo aliquem ex nostris fratribus percusserit, per mensem Cap. eo.

Qui uerò fratrem alieni ordinis, clericum, aut laicum, per duos menses. Cap. eo.

Reuelans scienter ex deliberatione secretum cuiuscunq; capituli, uel domus nostri ordinis extraneis, per mensem sine dispensatione subiaceat. Cap. eo.

Absoluens aliquem ab aliqua censura ecclesiastica, uel sententia in constitutionibus, uel à diffinitoribus capituli, uel à patre generali, aut prouincialibus, uel uisitatoribus latis, sine ipsorum licentia speciali, per duos menses subiaceat. Cap. XLV.

Qui uestes, libros, aut aliud de concessis sibi ad usum extra loca nostri ordinis sine licentia deposuerit, per quindecim dies subiaceat. Cap. LXVI.

Qui uestes alicui quouis modo uendiderit, uel alienauerit, aut sibi emerit: similiter qui libros extra ordinem uendiderit, per quindecim dies pœnam subeat prædictam. Cap. eo.

Qui ualorem unius unciæ argenti furatus fuerit, per duos menses subiaceat, qui uerò excesserit, per sex menses. Cap. eo.

Apostata pro prima apostasia per mensem, pro secunda per duos menses, pro tertia per tres pœnæ subiaceat supradictæ. Cap. XLVII.

Frater, qui licentiari petit ab ordine, nisi infra duos menses resipuerit, subeat per mensem prædictã pœnam. Cap. eo.

Qui causam, uel supplicationem sine scitu procuratoris ordinis in Romana curia proposuerit per duos menses pœnam luat prædictam Cap. LII.

Qui pœnam furti incurrat.

Frater, qui de bonis pertinentibus ad conuentum aliquid receperit, et procuratoribus nõ resignauerit, conuictus det prædictam pœnam. Cap. XXXII.

Frater, qui omnia quæ acquisierit, infra uigintiquinque horarum spatium priori, uel procuratori domus non assignauerit, furti iudicio condemnetur Cap. XLVI.

Priores similiter locorum, nisi omnia in rem cõmunem redegerint. Cap. eo.

Qui pœnam apostasiæ incurrant.

Frater, qui sine licentia superioris deprehensus fuerit septam loci cum deliberatione exiisse, similis

ter et prior solus exiens, nisi necessitas affuerit, dictam pœnam incurrat. Cap. XXI.
Pernoctans in domo sæcularium, ubi sunt loca nostri ordinis, absq; licentia superioris loci. Cap. eo.
Fratres, qui sine testimonio literarum sui superioris ad loca nostra deuenerint, et fugitiui inuenti fuerint, tanquam apostatæ puniantur. Cap. eo.
Qui ad curiam sine licentia iuerit. Cap. LII.

Qui sint incarcerandi.

Frater pernoctans in domo sæcularium, ubi sunt loca nostri ordinis, sine licentia superioris loci. Cap. XXI.
Appellans indebitè à processibus, uisitationibus, aut correctionibus officialium nostri ordinis, incarceretur, non extrahendus sine capituli prouincialis, aut saltim ipsius prouincialis licentia speciali. Cap. XXXV.
Qui ad prædicandum contra formam constitutionum iuerit, det prædictam pœnam per sex menses. Cap. XXXVIII.
Inuentus portare, uel tenere arma, per quæ meritò possit haberi suspectus, ipso facto per sex menses in carceres conyciatur. Cap. XLIIII.
Quicunque atrocem, enormi læsione, iniuriam in personā clericali priuilegio decoratam intulerit, incarceretur, nec extrahatur sine licentia generalis, uel prouincialis capituli. Cap. eo.
Si quis in homicidium lapsus fuerit, perpertuò carceri adiudicetur. Cap. eo.
Siquis de uitio indicibili conuictus, uel confessus fuerit, per tres menses incarceretur. Cap. eo.
Siquis denuo in eo uitio inuentus fuerit, per annum integrum incarceretur. Cap. eo.
Siquis de fornicatione conuictus fuerit, incarceretur, nec extrahatur sine licentia patris generalis. Cap. eo.
Sacerdos, qui conuictus fuerit confessionem aliquo modo reuelasse, incarceretur, donec per generale, uel prouinciale capitulum extractus fuerit. Cap. eo.
Accusans de falso coram aliquo prælato, uel officiali, aut falsum testimonium dans, uel dari faciens, per sex menses pœnæ carceris in compedibus mancipetur. Cap. XLV.
Siquis alicui pro suis demeritis incarcerato, ullo modo per se, uel per alium ad fugiendū dederit auxilium, consilium, uel fauorem, in eandē pœnam ponatur. Cap. XLVI.
Custos captiuorum, si per ipsius negligentiam fugerint, incarceretur. Cap. eo.
Incarceratus propter sua demerita, si fugerit, et postmodum capi poterit, in eandem pœnam reponatur. Cap. eo.
Qui rebellibus sanctæ matris ecclesiæ fauorē præbuerit, uel negocia eorum gesserit, pœnæ carceris per sex menses adiudicetur. Cap. LII.

Qui sint expellendi ab ordine.

Nouitius de aliquo notabili uitio infamatus ab ordine expellatur. Cap. XVII.
Nouitius, qui modum sibi traditum non seruauerit, aut aliquid de expressis in constitutionibus cōmiserit, ab ordine expellatur. Cap. eo.
Receptus ad ordinem simoniacè, etiam si professionem fecerit, expellatur. Cap. eo.
Suspecti de hæresi, eaq; de causa in ius uocati coram legato, uicario, aut inquisitore, pellantur ab ordine. Cap. XXXVIII.

conuictus

Conuictus denuo de uitio indicibili, ad arctiorem regulam peracta pœnitentia licentietur. Cap. XLIIII.

Nouitij, qui donationē bonorum suorum facere noluerint religioni, nihil sibi penitus reseruantes, eijciantur. Cap. XLVI.

Fratres, qui ab omni negociatione, et turpi lucro manum non retraxerint, atq; infra octo dies à sibi facta monitione, omnia conuentibus suis integrè non restituerint, à religione pellantur. Cap. eo.

Apostata quarta apostasia, si perpetuò uoce carere noluerit, non recipiatur, sed ad alium ordinem licentietur. Cap. XLVII.

Qui non sint recipiendi ad ordinem.

Nouitius, qui pro culpa expellitur, ulterius non recipiatur. Cap. XVII.

Qui de alieno ordine fuerit, et non licentiatus, non recipiatur. Cap. eo.

Licentiatus ab ordine sancti Benedicti, Dominici, uel francisci, nullo modo recipiatur. Cap. eo.

Nouitius, qui fugerit, et eo die non reuersus fuerit, nisi tempus probationis incipere denuo uolùerit, non recipiatur ad ordinem. Cap eo.

Qui sint excommunicati.

Retinentes, & legentes libros Lutheranos, aut eorum dogmata clam, uel palàm defendentes. Cap. XXXVIII.

Quicunq; alienat, impignorat, uel obligat librum ad usum chori, aut librariæ deputatum, calicem, et similia, ipso facto, sit excommunicatus. Cap. XXXIX.

Prior generalis, qui ad mandatū præsidentis, et diffinitorum, non renunciauerit officio generalatus. Cap. XLI.

Mittens, aut mitti faciens, procurans, uel consentiens mitti literas infamatorias. Cap. XLV.

Accusans aliquem de falso coram aliquo prælato, uel officiali, aut falsum testimonium dans, uel dari faciens. Cap. eo.

Possessiones, nemora, animalia, et huiusmodi, per se, uel per alios retinentes. Cap. XLVI.

Apostatans ab ordine, qui per diem naturalem non redierit. Cap. XLVII.

Censuræ circa cap. XXXVIII. *de forma circa studia et c.*

Qui sint è studio expellendi.

Qui tertiò admonitus noluerit magistro regenti debitum honorem, et obedientiam in ijs, quæ pertinent ad studij dispositionem præstare, è studio expellatur.

Qui sint omnibus gradibus priuandi.

Prior magister regens, baccalarius, duo primi lectores, magister studij, siquem receperint ad studium in grammaticalibus non instructum, & sine præuia lectione ex libris. M. Tullij *ciceronis à magistro studentium assignata, omnibus suis gradibus sint priuati.*

Qui extra ordinem sine prioris generalis licentia, magister creatus fuerit, sit, ipso facto, omnibus suis gradibus priuatus.

Qui sint exemptionibus priuandi.

Qui tempore officij, cui non tenentur adesse, studio non intendunt, sed uagantur, exemptionibus debitis sint priuati.

Qui officio, et uoce actiua, et passiua ad tempus sint priuandi.

Prouinciales, & priores locorum, qui subsidia, ut in hoc capitulo ordinatur, ante festum omnium sanctorum studentibus non soluerint, officijs, et uoce actiua et passiua per quadriennium priuentur.

Prior, qui noluerit significare priori generali, quòd graduati negligunt suas monitiones, officio, & uoce actiua et passiua per quadriennium sit priuatus.

Qui non sint habendi magistri.

Qui alia ratione quàm per id quod postulat hoc capitulũ creati fuerint in sacra theologia magistri, pro magistris in ordine nostro non agnoscantur.

Qui nihil á loco unde discedunt accipere debeant.

Studentes, qui infra annum ex sua culpa ab uno loco in alium mittuntur, nihil á loco, unde discedũt, accipiant.

Errata in Constitutionibus, cum ijs, quæ addenda, uel mutanda iudicauimus.

Pag. prima, fa. prima, li. 10. representet, repræsentet. li. 13. in omnibus, omnibus.
Fa. 2. li. 2. nolueri, noluerit. li. 4. & certis, et cæteris. li. 17. refectonem, refectionem.
li. 23. et. 24. Quotiens, Quoties. li. 38. predicandum, prædicandum.
Pag. 3. fa. prima, li. 13. horarum uirginis, horarum beatæ uirginis.
Fa. 2. li. 6. ubi eis, ubi est eis. li. 12. dele uerbũ illud, alicui. li. 16. cyrurgiæ, chirurgiæ.
li. 21. dele uerbũ illud, primo. li. 26. cõmemorationionibus cõmemorationibus.
Pag. 4. fa. prima, li. 2. dele particulam, ut in diebus quatuor temporum. li. 40 Per dominum, Per eundem dominum. li. 7. spetiales, speciales.
Fa. 2. li. 24. Pro fratribus nostris absentibus. Adde, Ver. Saluos fac seruos tuos. Resp. Deus meus sperantes in te. Ver. Mitte eis domine auxiliũ de sancto. Resp. et de sion tuere eos. Ver. Domine exaudi orationẽ meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cũ spiritu tuo. Oremus. Adesto supplicationibus nostris omnipotens deus, et uiam famulorũ tuorũ in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter oẽs uiæ ac uitæ huius uarietates, tuo semper protegantur auxilio. Per christũ dominũ nostrũ. Resp. Amẽ.
li. ultima uirginum. Adde, Resp. Deo gratias.
Pag. 5. fa. prima, li. prima, hebdomodarius, hebdomadarius. li. 38. unũ de, unum uel duos de.
Fa. 2. li. 2. apellauerit, appellauerit. li. 27. inclinet, inclinet se. li. 34. Icirco, Iecirco.
Pag. 6. fa. prima, li. 20. laycus, laicus, et sic corrigas semper. li. 29. defunstis, defunctis.
Fa. 2. li. 10. eleemosinarius, eleemosynarius. li. 17. particula illa finem autoritatis etc. non est parenthesis. li. 18. præsumserint, præsumpserint.
Pag. 7. fa. prima, li. 14. dotrina, doctrina. li. 17. censessor, confessor. li. 25. ullo modo, aliquo modo. li. ea. si aliquo casu, in aliquo casu.
Fa. 2. li. 9. eleemosinas, eleemosynas, et ita semper corrigas: li. 23. qualiumcunque, qualiuncũsque. li. 29. puniantur, puniatur. li. 39. patri, patris.
Pag. 8. fa. pri. li. 9. in oratio, in oratorio, li. 11. in chameris, in cameris. li. 26. ualeat, ualeãt.
Fa. 2. li. 5. contingerit, contigerit. li. 6. ab somno, a somno. li. 12. Benedicere uero, Benedicite uero dicere.
Pag. 9. fa. prima, li. 10. langure, languore.
Pag. 10. fa. prima, li. 21. alicui casuum, adde prædictorũ. Fa. 2. li. 37. apoctolica, apostolica.
Pag. 11. fa. prima, li. prima, Symoniam, Simoniam. li. 2. Ctiam, etiam. li. 34. sib, sibi.
Fa. 2. li. 2. pœnitus, penitus, et ita semper corrigendum est.
Pag. 12. fa. prima, li. 17. terminem, terminum. Fa. 1. Kyrieeleyson, kyrieeleison. syon, sion. li. 22. dicretioni, discretioni.
Pag. 14. fa. prima, li. 3. abque, absque. li. 15. coherceat, coerceat. li. 20. egrediantar, egrediantur. li. 23. toballeas, tobaleas. Fa. 2. li. 12. figno, signo. li. 25. sarabolis, sarabalis.
Pag. 15. fa. 2. li. 3. uestimemtum, uestimentum.
Pag. 16. fa. 2. li. 31. aut de, ut de.
Pag. 17. fa. 2. li. 20. hnmilitas, humilitas.
Pag. 18. fa. prima. li. 25. uerum, uerũ etiam.
Pag. 19. fa. prima, li. 5. infructosas, infructuosas. li. 21. inrfirmi, infirmi. li. 27. prouidebit, prouiderit.
Fa. 2. li. 26. cum discretis, cum discretis.

Pag.20.fa.2.li.12.exſcuſatione, excuſatione.
Pag.21.fa.prima,li.31.Quibus explitis.Quibus expletis. fa.2.li.penul,noſtrnm, noſtrũ.
Pag.22.fa.prima.li,22.Qandocũque,Quandocunque. li.37.roſpondere, respondere.
Fa.2.li.2.quemlibet, quenlibet.
Pag.25.fa.2. li.22. conuentualium, conuentualem.
Pag.26.fa. prima,li.7.oportunum,opportunum,& ſic corrigas ſemper. li.18.prætio,pretio.
li.33.cogantur,cogatur.
Fa.2.li.3.apperiantur, aperiantur.
Pag.27.fa.2. li.14 dumtaxat, duntaxat.
Pag.28.fa.prima,li.40,confuſſio, confuſio.
Fa.2. li.21. reſſpondeat,reſpondeant. li.ultima.per, ſint.
Pag.29.fa prima,li.16.quemcunque, quencunque. li.17.ſtudio,ſtudio.
Fa.2. li.13. cæleberrimæ,celeberrimæ.
Pag.30 fa.prima,li.41.præsbyterorum,preſbyterorũ. li.ea.uerumentiam,uerum etiam.
Fa.2.li. 27. quorumcunque,quoruncunque. li.38.commedent, commendent.
Pag.31.fa.prima,li. 26.lectionare,lectionale. li,33.loco loco,dele unum ex illis.
Pag.32.fa.2. li.prima,celebandas,celebrandas. li.19. miſſa da,miſſa de. li.23. in sæculorum, in sæculorum.
Pag.33.fa.prima,li.11.excat,exeat.
Fa.2.li. 15.religionis.N,religionis eremitarum Sancti Auguſtini.
Pag.34.fa.prima,li.9.conuenenerit,conuenerit. li.32.& uiuificet eum. Adde,et beatum faciat eum in terra. li.ea.animas, animam. li.42. prenuntiato,pronunciato.
Pag.35.fa prima,li.4.cogantur,cogatur.
Pag.36 fa prima,li.3.ab generalatus,a generalatus. li.23. prouideant,prouideat.
Fa.2.li.28.ſfratribus,fratribus.
Pag.37.fa.prima,li.30.ſiuæ,ſiue. li.36.adycients,adycientes.
Fa.2.li.26.commiſſit,commiſit.
Pag.38.fa.prima,li.23.ſiquis etima, ſi quis etiam. li.29.per rithmos,per rhythmos.
Pag.39 fa prima,li.38.ipſis religioni,ipſi religioni.
Pag.40 fa.2.li.29.in hac forma. Licet aliàs,per conſtitutionem ordinis,excõicatus exiſtat frater B.etc.corrigas ſic, in hac forma, licet alias per conſtitutionẽ ordinis excõicatus exiſtat. Frater.B.etc.quia ſentẽtia incipit ab illo uerbo Frater. B.quod eſt nomẽ prioris,ut patet.
Pag.41.fa.2.li.37.iuſtitum, inſtituta.
Pag.42.fa. prima,li.24.poſit,poſſit. fa.2.li.38.negoeia,negocia.
Pag.43.fa.prima,li. 9 preuaricatorẽ,præuaricatorẽ. li.27.irrecuperabilter, irrecuperabiliter
Fa.2.li.4.uiſitato res,uiſitatores. li.8.ſub ullo, ſub aliquo. li.23.dolcamus,doleamus.
Pag. 44.fa.prima,li.36.et ſuſpendantur,ſuſpendantur. li.37.ſeruiri, ſeruire.
Pag. 45.fa.prima,li.5.inabiles,inhabiles. li.32.scrire, ſcire.
Fa.2.li.20.uno tantum, uno tantum die.
Pag. 46.fa.prima,li.35.locatione,locutione.
Fa.2.li.2.in nullam electionem,in nulla electione. li.25.comunem,communem.
Pag.47.fa.2.li.31.et.33.in eandem pœnam,in eadem pœna.

Cōpleto calendario, horum Diuorum nomina, quæ in antiquo non erant, addenda censuimus, quæ Priores in Tabulis, iuxta capitulum. III. constitutionum suis locis scribi curabunt.

IANVARIVS.

Die. 7. *Luciani presbyteri et martyris.*
Die. 13. *Hilarij episcopi, et confessoris.*
Die. 24. *Timothei episcopi, et martyris.*
Die. 26. *Policarpi episcopi, et martyris.*
Die. 31. *Cyri, et Ioannis martyrum.*

FEBRVARIVS.

Die 7. *Adaucti, & sociorum eius martyrum.*
Die. 8. *Cointhæ uirginis, et martyris.*
Die. 12. *Eulaliæ uirginis, et martyris.*
Die. 15. *Faustini, et Iouitæ martyrum.*
Die. 27. *Iuliani, & Euni martyrum.*

MARTIVS.

Die. 3. *Emetherij, Celedonij, et Astherij martyrum.*
Die. 4. *Lucij papæ, & martyris.*

APRILIS.

Die. 4. *Isidori episcopi, et confessoris.*
Die. 6. *Xisti primi papæ, et martyris.*
Die. 8. *Dionysij episcopi, et confessoris.*
Die. 11. *Leonis primi papæ, et confessoris.*
Die. 13. *Iustini philosophi, et martyris.*
Die. 18. *Apollonij senatoris, et martyris.*
Die. 23. *Anastasij papæ, et confessoris.*

MAIVS.

Die. 9. *Gregorij Nazianzeni episcopi, et confessoris.*
Die. 14. *Victoris, et Coronæ martyrum.*
Die. 19. *Iuonis presbyteri, et confessoris.*
Die. 28. *Germani episcopi, et confessoris.*

IVLIVS.

Die. 16. *Eustachij episcopi, et confessoris.*
Die. 17. *Marinæ uirginis.*
Die. 19. *Iustæ, et Ruffinæ uirginum, et martyrum.*

SEPTEMBER.

Die. 3. *Seraphiæ uirginis, et martyris.*
Die. 19. *Ianuarij, et sociorum eius martyrum.*
Die. 24. *Teclæ uirginis, et martyris.*

OCTOBER.

Die 4. *Petronij episcopi, et confessoris.*
Die. 7. *Iustinæ uirginis, & martyris.*
Die. 29. *Marcelli martyris.*

Errata In Calendario.

In mense Ianuarij.

Die.20.dele,non transfertur,quia cum dicitur,duplex minus,clarum est quòd non transfertur, adde autem,solẽne generaliter.

Die.21.et 22.dele,solenne.

In mense Februarij.

Die.8. familiarum ,familiarium.

Die.24.Matthiæ, Mathiæ.

In mense Aprilis.

Die.2.Mariæ ægyptiacæ, adde,nec uirg.nec martyris.

In mense Maij.

Die.19.Petri cælestini,adde, confessoris.

In mense Iunij.

Die.26.adde, non transfertur.

In mense Iulij.

Die.12.martyris, martyrum:

Die.20.numerus horarum,qui est scriptus.142.sic corrige.14.2.

In mense Augusti.

Die.6.Xixti,Xisti.

In mense Nouemb.

In die Sanctæ Cecilie ac Clementis,dele,non transfertur, quia festa semiduplicia non transferuntur, nisi ab aliqua dominica uel festo duplici impediantur, & tunc transferuntur solum post illam dominicam,uel festum duplex.

In mense Decemb.

Die.29.dele,non transfertur.

Die ultima duplex minus ,semiduplex.

CALENDARIVM ROMANVM, QVO VTVNTVR FRA-
TRES ORDINIS EREMITARVM SANCTI AV-
GVSTINI, CVM REGVLA INVENIENDI
LITERAM DOMINICALEM, AVRE-
VM NVMERVM, LVNAE CONIVN
CTIONEM, ET FESTA
MOBILIA.

ORDINATIONES EORVM, QVAE AD CVLTVM DIVI-
NVM TAM IN CHORO ET IN ALTARI,
QVA'M IN MENSA PERTINENT.

COMPENDIVM RERVM EIVSDEM OR-
DINIS NVNC PRIMV'M IN LV-
CEM AEDITVM.



M. D. XLIX.

CALENDARIVM SECVNDVM RITVM ET MOREM ORDINIS FRATRVM EREMITARVM .S. AVGVSTINI.

nuger.	Aur.nu.	numerus Aureus			IANVARIVS HABET DIES. XXXI. LVNA VERO. XXX.	Diei Hora quarta.	Noctis Hora quarta.
	iij.	A	CAL.	1	Circuncisio Christi, du.ma. Et.s. Basilij episcopi et confesso.	9.0.	15.0
		B	iiij. Non.	2	Octaua. s.Stephani. Semidup. [et.s. Martinæ virg. mar.		
	xi.	C	iij.non.	3	Octaua s.Ioannis euang. Semidup.		
		D	prid.no.	4	Octaua. ss.Innocentium. Semidup.		
	xix.	E	Nonis.	5	Thelesphori papæ, et martyris. A festo stellæ nus		
	viij.	F	viij.idus.	6	Epiphania Christi. dup. maius. [merando perfice lunã.		
		G	vij.idus.	7	[Post undecim dies ibi septuagesima fiet.		
	xvi.	A	vi.idus.	8	[Et si Bisextus fuerit, superadditur unus.		
	v.	B	v.idus.	9	[Si cadit in lucẽ domini suppone sequentẽ.		
		C	iiij idus.	10	Pauli primi eremitæ. dup. mi. Sol ingreditur	9.1.	14.3.
	xiij.	D	iij.idus.	11	Iginij papæ, et martyris. [Aquarium.		
	ij.	E	prid.idus	12	Hyems adulta.		
		F	Idibus.	13	Octaua Epiphaniæ. semidup.		
	x.	G	xix.cal.	14	FEBRVARII. Felicis in Pincis presbyt. et marty.		
		A	xviij.cal.	15	Mauri abbatis.		
	xviij.	B	xvij.cal.	16	Marcelli papæ et martyris.		
16.	vij.	C	xvi.cal.	17	Antonij abbatis du.mi. Solenne generaliter [Ante diẽ Priscæ		
5.		D	xv.cal.	18	Priscæ uirginis & martyris. [nunq. deponitur alle.		
	xv.	E	xiiij.cal.	19	Marij, Marthæ, Audifax et Abachuc, martyrum.		
13.	iiij.	F	xiij.cal.	20	Fabiani papæ, et Sebastiani, martyrum. du. mi. ~~non translat.~~ solemne infra	9.2.	14.2.
2.		G	xij.cal.	21	Agnetis uirginis et martyris. Semidup. ~~Solenne.~~		
	xij.	A	xi.cal.	22	Vincentij et Anastasij martyrum. ~~Solenne generaliter.~~		
10.	i.	B	x.cal.	23	Emerentianæ uirginis et martyris.		
		C	ix.cal.	24			
18.	ix.	D	viij.cal.	25	Conuersio S. Pauli apostoli. dup. min.		
7.		E	vij.cal.	26			
	xvij.	F	vi.cal.	27	Ioannis Chrysostomi episcopi et confessoris.		
15.	vi.	G	v.cal.	28	Agnetis secundo. non transfertur. [Claues Quadragesimæ.		
4.		A	iiij.cal.	29			
	xiiij.	B	iij.cal.	30	Geminiani episcopi, et confessoris.		
12.	iij.	C	prid.cal.	31			

IESVS MARIA

FEBRVARIVS HABET DIES. XXVIII.
LVNA VERO. XXIX.
Si bissextilis erit, ille dies habebit. xxix. hæc autem. xxx.

Aur. numer.	Au. numerus.					Diei Horæ quartæ.	Noctis Horæ quartæ.
1		D	CAL.	1	*Ignatij episcopi et martyris, et. s. Brigidæ uirginis.*	10.0.	14.0.
	xi.	E	iiij.no.	2	*Purificatio beatæ Mariæ uirginis. dup. maius.*		
9		F	iij.non.	3	*Blasij episcopi et martyris. non transfertur.*		
	xix.	G	prid.no.	4	*Gilberti confessoris.*		
17.	viij.	A	Nonis.	5	*Agathæ uirginis et martyris.* Semiduplex.		
6	xvi.	B	viij.idus.	6	*Dorotheæ uirginis, et martyris. Item anniuersariũ patrum,*		
	v.	C	vij.idus.	7	*matrum, fratrum, sororũ, fa*		
14.		D	vi.idus.	8	*miliariũ & ræpinquorũ defun*		
3	xiij.	E	v.idus.	9	*Apolloniæ uirg. et m.* [Sol in Piscibus. {*ctorum ordinis n str..*		
	ij.	F	iiij.idus.	10	*Guilelmi confess. ordinis nostri. du. mi. et Scholasticæ uirginis.*	10.2.	13.2.
11.		G	iij.idus.	11	{*Hyems præceps.*		
	x.	A	prid. id.	12			
19		B	Idibus.	13			
8	xviij.	C	xvi.cal.	14	MARTII. *Valentini presbyt. et martyris.*		
	vij.	D	xv.cal.	15			
		E	xiiij.cal.	16	*Iulianæ uirginis et martyris.*		
	xv.	F	xiij.cal.	17			
	iiij.	G	xij.cal.	18			
		A	xi.cal.	19	*Seuerini episcopi.*		
	xij.	B	x.cal.	20		11.0.	13.0.
	i.	C	ix.cal.	21	*Præueniens cathe-*		
		D	viij.cal.	22	*Cathedra. s. Petri apostoli. dup. min.* {*dram, dat tardius*		
	ix.	E	vij.cal.	23	*Vigilia.* {*alle uacare.*		
		F	vi.cal.	24	*Mattbiæ apostoli. dup. minus.* {*Locus bisexti.*		
	xvij.	G	v.cal.	25			
	vi.	A	iiij.cal.	26			
		B	iij.cal.	27			
	xiiij.	C	prid.cal.	28	*Translatio secunda. S. Augustini episcopi patris nostri. du. mi.*		

Aur.nu. niger.	Au. nus merus.				MARTIVS HABET DIES. XXXI. LVNA VERO. XXX.	Diei Horæ quartæ.	Noctis Horæ quartæ.
	iij.	D	CAL.	1	Herculani episcopi, et martyris.	11.2.	12.2.
		E	vi. non.	2			
	xi.	F	v. non.	3			
		G	iiij. no.	4			
	xix.	A	iij. non.	5			
	viij.	B	prid.no.	6			
		C	Nonis.	7	Perpetuæ, et Felicitatis martyrũ. Et. s. Thomæ de Aquino		
	xvi.	D	viij.idus	8	conf.ordinis præd.		
	v.	E	vij.idus.	9	Sanctorum Quadraginta martyrum.		
		F	vi idus.	10		12.0	12.0
	xiij.	G	v.idus.	11	Claues Paschæ. Sol ingreditur Arietem.		
	ij.	A	iiij.idus.	12	Gregorij papæ et confes.dup.mi. Aequinoctium uernum.		
		B	iij.idus.	13	Ver nouum.		
	x.	C	pri.idus.	14			
		D	Idibus.	15			
	xviij.	E	xvij.cal.	16	APRILIS.		
	vij.	F	xvi.cal.	17	Patritij episcopi, et confessoris.		
		G	xv.cal.	18	Anselmi episcopi, et confessoris.		
	xv.	A	xiiij.cal.	19	Ioseph confessoris. dup.min.		
	iiij.	B	xiij.cal.	20		12. 2.	11.2.
16		C	xij.cal.	21	Benedicti abbatis. dup.min.		
5	xij.	D	xi.cal.	22	Post festum. s. Benedicti, ubicunq; Luna.xiiij. uenerit,		
	i.	E	x.cal.	23	ibi in Dominica proxima resurrectio Domini cele-		
13		F	ix.cal.	24	bratur.		
2	ix.	G	viij.cal.	25	Annunciatio.B.Mariæ uirginis. dup. maius.		
		A	vij.cal.	26			
10.	xvij.	B	vi.cal.	27			
	vi.	C	v.cal.	28			
18.		D	iiij.cal.	29			
7.	xiiij.	E	iij.cal.	30			
	iij.	F	prid.cal.	31			

Aur. nu. nigor.	Aureus numerus.		APRILIS HABET DIES. XXX. LVNA VERO. XXIX.			Diei Horæ quartæ.	Noctis Horæ quartæ.
15		G	CAL.	1	Theodoræ uirginis.	13.0.	11.0.
4	xi.	A	iiy.non.	2	Mariæ Aegyptiacæ. nec virg nec martyris		
		B	iy.non.	3			
12	xix.	C	prid.no.	4			
1	viy.	D	Nonis.	5	Vincenty confessoris, ordinis prædicatorum.		
	xvi.	E	viy.idus.	6			
9	v.	F	vy.idus.	7			
		G	vi.idus.	8			
17	xiy.	A	v.idus.	9	Translatio.s.Monicæ, matris, s. Augustini. du.mi.		
6	y.	B	iiy.idus.	10	Sol ingreditur Taurum.	13.2.	10.2.
		C	iy.idus.	11	Ver adultum.		
14	x.	D	pri.idus.	12			
3		E	idibus.	13			
	xviy	F	xviy.cal.	14	MAII. Tiburtij, Valeriani, et Maximi martyrum.		
11	[illegible]	G	xvy.cal.	15			
		A	xvi.cal.	16	Isidori martyris.		
19.	xv.	B	xv.cal.	17	Aniceti papæ, et martyris.		
8.	iiy	C	xiiy.cal.	18			
		D	xiy.cal.	19			
	xy.	E	xy.cal.	20		14.0.	10.0.
	i.	F	xi.cal.	21			
		G	x.cal.	22	Sotheris, et Caij. PP. et martyrum.		
	ix.	A	ix.cal.	23	Georgij martyris. Semidup. et fiat secundum patriam.		
		B	viiy.cal.	24			
	xvy.	C	vy.cal.	25	Marci euangelistæ. dup.min. Extrema paschæ tua		
	vi.	D	vi.cal.	26	Cleti, et Marcellini. PP. et martyrum. [docet passio marce.		
		E	v.cal.	27			
	xiiy.	F	iiy.cal.	28	Vitalis martyris. Claues pentecos.		
	iy.	G	iy.cal.	29	Petri marty. ord. prædicatorum.		
		A	prid.cal.	30			

IESVS MARIA

Aur. numerus				MAIVS HABET DIES. XXXI: LVNA VERO. XXX.	Diei Horæ quartæ.	Noctis Horæ quartæ.
xi.	B	CAL.	1	Philippi, et Iacobi apostolorum. dup. min.	14. 2.	9. 2.
	C	vi. non.	2	Athanasij episcopi, et confess.		
xix.	D	v. non.	3	Inuē. s. Crucis. du. mi. Et Alexādri papæ, et Euētij, Theodoli		
viij.	E	iiij. non.	4	Monicæ matris. s. August. dup. ma. [ac Iuuenalis. MM.		
	F	iij. non.	5	Conuersio. s. patris Augustini, episcopi, et conf. du. mi.		
xvi.	G	prid. no.	6	Ioannis ante portam Latinam. dup. minus.		
v.	A	Nonis.	7			
	B	viij. idus.	8	Apparitio. s. Michaelis Archangeli. dup. mi.		
xiij.	C	vij. idus.	9			
ij.	D	vi. idus.	10	Gordiani, et Epimachi martyrum.	14. 3.	9. 1.
	E	v. idus.	11	Octaua. s. Monicæ. dup. minus.		
x.	F	iiij. idus.	12	Nerei, Archilei, et Pancratij marty. Sol ingreditur Geminos.		
	G	iij. idus.	13	Ver preceps.		
xviij.	A	pri. idus.	14	Bonifacij martyris.		
vij.	B	idibus.	15			
	C	xvij. cal.	16	IVNII.		
xv.	D	xvi. cal.	17			
iiij.	E	xv. cal.	18			
	F	xiiij. cal.	19	Potentianæ uirginis, et Petri cœlestini. Conff		
xij.	G	xiij. cal.	20		15. 0.	9. 0.
i.	A	xij. cal.	21			
	B	xi. cal.	22			
ix.	C	x. cal.	23			
	D	ix. cal.	24			
xvij.	E	viij. cal.	25	Vrbani papæ, et martyris.		
vi.	F	vij. cal.	26	Eleutherij papæ, et martyris.		
	G	vi. cal.	27			
xiiij.	A	v. cal.	28			
iij.	B	iiij. cal.	29			
	C	iij. cal.	30	Felicis papæ, et martyris.		
xi.	D	prid. cal.	31	Petronillæ uirginis.		

✠ iij

IESVS MARIA

IVNIVS HABET DIES. XXX. LVNA VERO. XXIX.

Aureus numerus.					Dies Horæ quartæ	Noctis Horæ quartæ
	E	CAL.	1		15. 1.	8. 3.
xix.	F	iiij. no.	2	Marcellini, Petri, et Erasmi martyrum.		
viij.	G	iij. non.	3			
xvi.	A	prid. no.	4			
v.	B	Nonis.	5	Canonizatio s. Nicolai de Tolentino, du. mis		
	C	viij. idus	6			
xiij.	D	vij. idus.	7			
ij.	E	vi idus.	8			
	F	v. idus.	9	Primi, et Feliciani martyrum.		
x.	G	iiij. idus.	10		15. 1.	8. 3.
	A	iij. idus.	11	Barnabæ apostoli. dup. mi.		
xviij.	B	pri. idus.	12	Basilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarij mar. Aestas noua. Sol		
vij.	C	Idibus.	13	Antonij de Padua confessoris. ingreditur Cancrum. Solsti		
	D	xviij. cal.	14	IVLII. tium æstiuum. Dies anni lon		
xv.	E	xvij. cal.	15	Viti, Modesti, et Crescentiæ martyrum. gissimus.		
iiij.	F	xvi. cal.	16			
	G	xv. cal.	17			
xij.	A	xiiij. cal.	18	Marci, et Marcelliani fratrum martyrum.		
i.	B	xiij. cal.	19	Geruasij, et Prothasij fratrum martyrum.		
	C	xij. cal.	20	Syluerij papæ, et martyris.	15. 1.	8. 3.
ix.	D	xi. cal.	21			
	E	x. cal.	22	Paulini episcopi, et confessoris.		
xvij.	F	ix. cal.	23	Vigilia.		
vi.	G	viij. cal.	24	Natiuitas. s. Ioannis Baptistæ, dup. maius.		
	A	vij. cal.	25			
xiiij.	B	vi. cal.	26	Ioannis, et Pauli fratrum martyrum. non transff		
iij.	C	v. cal.	27			
	D	iiij. cal.	28	Leonis papæ, et confessoris. non transfertur. Vigilia.		
xi.	E	iij. cal.	29	Petri, et Pauli apostolorum, dup. maius.		
	F	prid. cal.	30	Commemoratio, s. Pauli apostoli, dup. mi.		

IESVS MARIA

Aureus numerus.				IVLIVS HABET DIES. XXXI. LVNA VERO. XXX.	Diei Horæ quartæ.	Noctis Horæ quartæ.
xix.	G	CAL.	1	Octaua.s.Joannis Baptistæ. Semidup.	15.0.	9.0.
viij.	A	vi.non.	2	Visitatio beatæ Mariæ uirginis. dup.ma. Et Processi, et		
	B	v.non.	3	Martiniani martyrum.		
xvi.	C	iiij.non.	4			
v.	D	iij.non.	5			
	E	prid.no.	6	Octaua apostolorum Petri, et Pauli. dup.mi.		
xiij.	F	Nonis.	7			
ij.	G	viij.idus.	8			
	A	vij.idus.	9	Octaua uisitationis beatæ Mariæ. dup.mi.		
x.	B	vi.idus.	10	Septem fratrum marty. et Rufinæ, et Secundæ. Item anniuer	14.3.	9.1.
	C	v.idus.	11	Pij papæ, et martyris. sariumfratrum, et sororum		
xviij.	D	iiij.idus.	12	Naboris, et Felicis martyrum. defunctorũ ordinis nostri.		
vij.	E	iij.idus.	13	Anacleti papæ, et martyris.		
	F	pri.idus.	14	Sol ingreditur Leonem. Aetas adulta.		
xv.	G	idibus.	15	Quiritij, et Iulitæ martyrum.		
iiij.	A	xvij.cal.	16	AVGVSTI.		
	B	xvi.cal.	17	Alexij confessoris.		
xij.	C	xv.cal.	18	Symphorosæ, et septem filiorum eius martyrum.		
i.	D	xiiij.cal.	19			
	E	xiij.cal.	20	Margaritæ uirginis, et martyris.	14.7.	9.2.
ix.	F	xij.cal.	21	Praxedis uirginis.		
	G	xi.cal.	22	Mariæ Magdalenæ.dup.min.		
xvij.	A	x cal.	23	Apollinaris episcopi, et martyris.		
vi.	B	ix.cal.	24	Christinæ uirginis, et martyris. Vigilia.		
	C	viij.cal.	25	Iacobi apostoli.du.mi. Christophori martyris.		
xiiij.	D	vij.cal.	26	Sanctæ Annæ, matris.B.Mariæ uirginis.dup.maius.		
iij.	E	vi.cal.	27	Pantaleonis martyris.		
	F	v.cal.	28	Nazarij, Celsi, Victoris, et Innocentij martyrum.		
xi.	G	iiij.cal.	29	Marthæ uirginis. nõ trans. Et SS. Felicis. Simplicij, Fausti		
xix.	A	iij.cal.	30	Abdon, et Senen martyrum. ni, et Beatricis marty.		
	B	prid.cal.	31			

IESVS MARIA

AVGVSTVS HABET DIES. XXXI. LVNA VERO. XXIX.

Aureus numerus					Diei Hora quarta	Noctis hora quarta
vij.	C	CAL.	1	S. Petri ad Vincula. dup. mi. et. ss. vij. Fratrum Macabæo-	14.0.	10.0.
xvi.	D	iiij. no.	2	Stephani papæ, et martyris. [rum martyrum.		
v.	E	iij. non.	3	Inuentio corporis. s. Stephani protomartyris. Non trans.		
	F	prid. no.	4	Iustini presbyteri, et martyris.		
xiij.	G	Nonis.	5	S. Mariæ ad niues. dup. ma. Et Sancti Dominici cōf. du. mi.		
ij.	A	viij. idus	6	Transfiguratio Domini. dup. ma. Et. ss. Xisti papæ, Feli-		
	B	vij. idus.	7	Donati episcopi, et marty. [cissimi, et Agapiti marty.		
x.	C	vi idus.	8	Cyriaci, Largi, et Smaragdi martyrum.		
	D	v. idus.	9	Romani martyris. Vigilia.		
xviij.	E	iiij. idus.	10	Laurentij martyris. dup minus.	13.2.	10.2.
vij.	F	iij. idus.	11	Tyburtij, et Susannæ martyrum.		
	G	pri. idus.	12	Claræ uirginis.		
xv.	A	Idibus.	13	Simpliciani episcopi, et cōfes. ord. nostri. dup. mi. et. ss. Hippoly-		
iiij.	B	xix. cal.	14	SEPTEMBRIS. Eusebij presb. et cōf. Vig. [ti et Soci. m.		
	C	xviij. cal.	15	Assumptio uirg. Mariæ. dup. ma. Sol ingreditur Virginē.		
xij.	D	xvij. cal.	16	Æstas præceps.		
i.	E	xvi. cal.	17	Octaua. s. Laurentij. semidup.		
	F	xv. cal.	18	Agapiti martyris.		
ix.	G	xiiij. cal.	19	Ludouici episcopi, et confessoris.		
	A	xiij. cal.	20	Bernardi abbatis. dup mi.	13.0.	11.0.
xvij.	B	xij. cal.	21			
vi.	C	xi. cal.	22	Octa. assump. du. mi. Et Timothei, Hippolyti, et Symphoria-		
	D	x. cal.	23	Vigilia. [ni martyrum.		
xiiij.	E	ix. cal.	24	Bartholomæi apostoli. dup. mi. et fiat secundum patriam.		
iij.	F	viij. cal.	25	Ludouici Regis Francorum confessoris.		
	G	vij. cal.	26	Zepherini papæ, et martyris.		
xi.	A	vi. cal.	27	Vigilia.		
xix.	B	v. cal.	28	S. Augustini episcopi cōf. doct. et patris nostri. du. ma. Et Her-		
	C	iiij. cal.	29	Decollatio. s. Ioā. Baptistæ. semi. Et Sabinæ mar. [metis mart.		
viij.	D	iij. cal.	30	Felicis, et Adaucti martyrum.		
	E	prid. cal.	31			

IESVS MARIA

Au. numerus.		SEPTEMBER HABET DIES. XXX.	LVNA VERO. XXX.		Diei Horæ quartæ	Noctis Horæ quartæ
xvi.	F	CAL.	1	Duodecim fratrum marty. et Egidij abbatis.	12. 2.	11. 2.
v.	G	iiij. no.	2	Antonini martyris.		
	A	iij. non.	3			
xiij.	B	prid. no.	4	Octaua s. Augustini. dup. mi.		
ij.	C	Nonis.	5			
	D	viij. idus	6			
x.	E	vij. idus.	7	Vigilia.		
	F	vi. idus.	8	Natiuitas. B. Mariæ. uirg. dup. maius.		
xviij.	G	v. idus.	9	Gorgonij martyris.		
vij.	A	iiij. idus.	10	S. Nicolai de Tolentino confess. ordinis nostri. dup. maius.	12. 0.	12. 0.
	B	iij. idus.	11	Prothi, et Hyacinthi martyrum. AEquinoctium		
xv.	C	pri. idus.	12	autumnale.		
iiij.	D	Idibus.	13	Autumnus nouus.		
	E	xviij. cal.	14	OCTOBRIS. Exaltatio s. Crucis. du. mi. et ss. Cornelij, et Cypriani martyrum. Sol ingreditur Libram.		
xij.	F	xvij. cal.	15	Oct. Natiuitatis. B. Mariæ. dup. mi. Nicomedis mar.		
i.	G	xvi. cal.	16	Euphemiæ, Luciæ, et Geminiani martyrum.		
	A	xv. cal.	17	Octaua. s. Nicolai de Tolentino confess. du. min.		
ix.	B	xiiij. cal.	18			
	C	xiij. cal.	19		11. 2.	12. 2.
xvij.	D	xij. cal.	20	Eustathij, et Sociorum eius martyrum. Vigilia.		
vi.	E	xi. cal.	21	Matthæi apostoli, et euangelistæ. dup. mi.		
	F	x. cal.	22	Mauritij, et Sociorum eius martyrum.		
xiiij.	G	ix. cal.	23	Lini papæ, et martyris.		
iij.	A	viij. cal.	24			
	B	vij. cal.	25			
xi.	C	vi. cal.	26	Cypriani, et Iustinæ uirginis martyrum.		
xix.	D	v. cal.	27	Cosmæ, et Damiani fratrum martyrum.		
	E	iiij. cal.	28			
viij.	F	iij. cal.	29	Dedicatio Basilicæ. s. Michaelis Archang. dup. maius.		
	G	prid. cal.	30	Hieronymi presbyt. confess. et doctoris. dup. mi.		

IESVS MARIA

Aureus numerus		OCTOBER HABET DIES. XXXI. LVNA VERO XXIX.			Dici Hora quarta	Noctis Hora quarta
xvi.	A	CAL.	1	Remigy episcopi,et confessoris.	11, 0.	13. 0.
v.	B	vi.non.	2			
xiij.	C	v.non.	3			
ij.	D	iiij.no.	4	Francisci confessoris. dup.mi.		
	E	iij.non.	5			
x.	F	prid.no.	6			
	G	Nonis.	7	Sergij, Bacchi, Marcelli, et Apulei mar. Et Marci papæ et con		
xviij.	A	viij.idus.	8	cerbonij episcopi et conf . [fess.		
vij.	B	vij.idus.	9	Dionysy, Rustici, et Eleuthery martyrum.		
	C	vi.idus.	10		10, 2.	13. 2.
[illegible]	D	v.idus.	11	Translatio Prior. s.patris Augustini. dup.minus.		
[illegible]	E	iiij.idus.	12			
	F	iij.idus.	13			
xij.	G	prid. id.	14	S.Calixti papæ, et martyris. Sol ingreditur Scorpium.		
i.	A	Idibus.	15	Autumnus adultus.		
	B	xvij.cal.	16	NOVEMBRIS. galli abbatis		
x.	C	xvi. cal.	17			
	D	xv.cal.	18	Lucæ euangelistæ. du.mi.		
xvij.	E	xiiij. cal.	19			
vi.	F	xiij. cal.	20		11. 0.	14. 0.
	G	xij.cal.	21	S.Vrsulæ, et sociarum.xi.millium uirginum.non transf. et s.		
xiiij.	A	xi. cal.	22	[Hylarionis abb.et consef.		
iij.	B	x.cal.	23			
	C	ix.cal.	24			
xi.	D	viij.cal.	25	Chrysanti, et Dariæ martyrum.		
	E	vij.cal.	26	Euaristi, papæ et martyris.		
xix.	F	vi.cal.	27	Vigilia.		
viij.	G	v.cal.	28	Simonis et Iudæ apostolorum. dup. minus.		
	A	iiij.cal.	29			
xvi.	B	iij.cal.	30			
v.	C	prid.cal.	31	Vigilia.		

IESVS MARIA

Aureus numerus.		NOVEMBER HABET DIES XXX. LVNA ITEM XXX.			Dici Horæ quarta	Noctis Horæ quarta
	D	CAL.	1	Festiuitas omnium Sanctorum. dup.ma. et Cæsarij. marty.	9. 2.	14. 2.
xiij.	E	iiij. Non.	2	Commemoratio omnium fidelium defunctorum.		
ij.	F	iij.non.	3			
	G	prid.no.	4	Vitalis et Agricolæ martyrum.		
x.	A	Nonis.	5			
	B	viij.idus.	6	Leonardi confessoris.		
xviij.	C	vij.idus.	7			
vij.	D	vi.idus.	8	Oct.omn.Sanctorum.dup.min. et.ss.iiij.Coronatorũ martyrũ.		
	E	v.idus.	9	Dedicatio Basilicæ.D.Saluatoris in urbe,dup.mi. et Theodo-[ri.m.]		
xv.	F	iiij idus.	10	Tryphonis,Respicij,et Nymphæ martyrum.	9. 1.	14. 3.
iiij.	G	iij.idus.	11	Martini episcopi et confesso. dup.mi. et.S. Mennæ marty.		
	A	prid.idus	12	Martini papæ et marty. [Sol ingreditur Sagittarium, et		
xij.	B	Idibus.	13	Britij episcopi et confessoris. [fit Autumnus præceps.		
i.	C	xviij.cal.	14	DECEMBRIS.		
	D	xvij.cal.	15			
ix.	E	xvi.cal.	16			
	F	xv.cal.	17			
xvij.	G	xiiij.cal.	18	Dedicatio Basilicarum.ss.Petri et Pauli apostolorũ. du. mi.		
vi.	A	xiij.cal.	19	Pontiani papæ, et marty. et Elisabeth uiduæ.		
	B	xij.cal.	20		9.0.	15.0.
xiiij.	C	xi.cal.	21	Præsentatio. s. Mariæ Virg. dup. ma.		
iij.	D	x.cal.	22	Cæciliæ uirginis et martyris. Semidup. ~~non transf.~~		
	E	ix.cal.	23	Clementis papæ et martyris. Semi. ~~nõ transf~~ et Felicitatis m.		
xi.	F	viij.cal.	24	Chrysogoni martyris.		
xix.	G	vij.cal.	25	Catherinæ uirginis et martyris. dup. minus.		
	A	vi.cal.	26	Petri Alexandrini episcopi et martyris.		
viij.	B	v.cal.	27			
	C	iiij.cal.	28			
xvi.	D	iij.cal.	29	S. Saturnini martyris. Vigilia.		
v.	E	prid.cal.	30	S. Andreæ apostoli, dup.mi.		

IESVS MARIA

Au. numerus.				DECEMBER HABET DIES XXXI. LVNA VERO XXIX.	Diei Horæ quartæ	Noctis. Horæ quartæ
xiij.	F	CAL.	1		8.3.	15.1.
ij.	G	iiij.no.	2	Bibianæ uirginis et martyris.		
	A	iij non.	3			
x.	B	prid.no.	4	Barbaræ uirginis et martyris.		
	C	Nonis.	5	Sabæ abbatis confessoris.		
xviij.	D	viij.idus.	6	Nicolai episcopi et confessoris: du.mi.		
vij.	E	vij.idus.	7	Ambrosij episcopi confess. et doctoris. dup. mi.	8.3.	15.1.
	F	vi.idus.	8	Conceptio gloriosæ Virg. Mariæ. dup. ma.		
xv.	G	v.idus.	9			
iiij.	A	iiij.idus.	10	Melchiadis papæ et marty: Hyems noua.		
	B	iij.idus.	11	Damasi papæ et confessoris. Solstitium hybernum.		
xij.	C	prid. id.	12	Bruma.i.dies anni breuissimus. Sol		
i.	D	idibus.	13	Luciæ uirg. et martyr. semidu. [ingreditur Capricornum.		
	E	xix. cal.	14	IANVARII.		
ix.	F	xviij.cal.	15	Octaua conceptionis Beatæ uirginis Mariæ. du.mi.		
	G	xvij.cal.	16			
xvij.	A	xvi. cal.	17			
vi.	B	xv.cal.	18			
	C	xiiij. cal.	19			
xiiij.	D	xiij.cal.	20	Vigilia.	8.3.	15.1.
iij.	E	xij.cal.	21	S. Thomæ Apostoli. dup. minus.		
	F	xi.cal.	22			
xi.	G	x.cal.	23			
xix.	A	ix.cal.	24	Vigilia.		
	B	viij.cal.	25	NATIVITAS DOMINI. dup.ma. et s. Anastasiæ [mar.		
viij.	C	vij.cal.	26	Stephani protomartyris. dup. ma.		
	D	vi.cal.	27	Ioannis Apostoli et euangelistæ. dup. ma.		
xvi.	E	v.cal.	28	Sanctorum Innocentium. semidup:		
v.	F	iiij.cal.	29	Thomæ archiepiscopi et martyris. semidu. ~~non transfertur~~		
	G	iij.cal.	30			
xiij.	A	prid. cal.	31	Siluestri papæ et confessoris. ~~dumi~~ semiduplex		

IESVS MARIA

REGVLA AD COGNOSCENDAM LVNAE CONIVN CTIONEM, ET INVENIENDA FESTA MObILIA, PER LITERAM DOMINICALEM, ET AVREVM NVMERVM.

De litera Dominicali.

PRIMVM quidem in *ſubiecta tabella literam dominicalem ſingulis annis hoc pacto inuenies, ſi primam literam, quæ eſt.* F. *tribueris anno.* M. D. X L I X. *ſequentem, quæ eſt.* E. *anno.* M D. L. *ſicq; deinceps progrediare, quouſq; ad deſtinatum annũ perueneris. Siquidem ea* Litera *dominicalis erit, super quam illius anni numerus ceciderit: quæ ſi unica erit, annum eſſe cõmunem intelliges; ſin duplex, ideſt superior, et inferior, biſſextilem: quo anno prior, ideſt superior uſq; ad.* D. *Matthiæ apoſtoli feſtum deſeruiet, inferior ad reliquam anni partem accõmodabitur. Illud tamẽ ſciendum eſt, exactis iuxta literarum tabulæ numerum uiginti octo annis, rurſum ad principium cum annis tunc ſequentibus redeundum.*

Tabula uero hæc eſt.

```
f. e. d. c. A. g. f. e. c. b. A. g. e. d. c. b. g. f. e. d. b. A.
         b.          d.          f.          A.          c.
g. f. d. c. b. A.
   e.          g.
```

De aureo numero.

EODEM. *modo, ut de* Litera *dominicali dictum eſt, Aureum numerum inueſtiges, ſi in ſubiecta numerorum ſerie primum, qui eſt.* xi. *anno.* M. D. X L I X. *tribueris, ſequentem, qui eſt.* xij. *anno.* M. D. L. *& ſic deinceps, donec ad propoſitum tibi annum perueneris. Abſolutis tamen nouendecim annis, iterum regredere ad principiũ.*

Numeri autem ij ſunt.

xi. xij. xiij. xiiij. xv. xvi. xvij. xviij. xix. i. ij. iij.
iiij. v. vi. vij. viij. ix. x.

IESVS MARIA

DVPLICEM in calendario positum aureũ numerum nigrum ac rubrum offendes. Vbi igitur sumpti anni Aureus (ut diximus) numerus ruber inciderit, ibi lunæ coniunctio iuxta Romanæ Ecclesiæ ritum, tibi in singulos menses proferenda erit. Quòd si uerum lunæ locum deprehendere uolueris; hinc per has quatuor dictiones sursum uersus progredere. In cælis [illegible] singulis diebus syllabas tribuendo, atq; ita quidem quarto demum ante die Astronomos lunam suam rectè statuere comperies.

De Septuagesima.

VBICVNQVE autem aureus numerus niger, siue in Ianuario, siue in Februario tibi occurrerit, sequenti dominico die septuagesima erit celebranda. Quòd siquando numerus ille in Dominicam ipsam inciderit, tunc in alteram proximè succedentem septuagesimam reycies.

De paschate iuxta ritum ecclesiæ.

PORRO sacrum resurrectionis diem habebis, si post Epiphaniorum festum ter nouam pertranscas lunam, nam in sequentem proximè dominicam resurrectio cadet; sin autem in dominicam ipsam luna inciderit, in altera proximè sequenti (ut de septuagesima dictum est) Pascha celebrandum erit.

De eodem alio modo.

IDEM. breuius nunc docebimus. Quocunq; aureus numerus niger in Martio siue in Aprili, etiam in dominicum diem inciderit, proximè sequenti dominica Pascha celebratur.

De quatuor anni ieiunijs.

IAM VERO quemadmodũ quatuor sunt anni partes Ver, Aestas, Autumnus, et Hyems, ita quatuor ab Ecclesia sunt solennia instituta ieiunia, singula singulis anni partibus destinata; quæ, ob candẽ causam quatuor tempora uulgò appellant. Ea porrò ternos obtinent dies, Mercurij, Veneris, et Sabbati, continuò sequentes: Ac primum quidem ieiuniũ post Cineres: Alterum post Pentecosten: Tertium post Crucis exaltationem: Postremum secundum diem. D. Luciæ uirgini dicatum: omnia proximis Mercurij (ut diximus) diebus auspicantur. Quòd si fortè etiam alterutrum horum duorum quæ postremò dicta sunt festorum in ipsum Mercurij diem inciderit, non is quidem, sed qui proximus succedet ieiunij dies erit. etc.

Annus [illegible] duodecim, hebdomadas septuaginta duas, diem unum et quadrantem, hoc est. CCCLXV. dies, horas sex. Bissextilis autem. CCCLXVI. dies integros continet, ut in præcedentibus mensium tabulis facile deprehendes.

FRater Gabriel Venetus Taruisinæ prouinciæ præses, et sacræ Theologiæ professor indignissimus, suæ religiõis patribus optimis sal. Deerat ad sũmã nostræ religionis institutionẽ hic unus liber, cui maiores nostri, uiri sapientissimi nomen ordinarii fecere. Et sanè, quæ fuit illorũ sapientia, prudentissimè nuncuparant, siquidem ordo, cuius præcipuam partem libellus hic sibi uendicat, is est, ut nisi exactè illum serues, facilè omnia ruant; et cum nostra omnia numero, pondere, et mensura, siue expressius appelles, modo, specie, et ordine constent, nihil est, quod non ordo ipse hisce duobus, ueluti focijs nõ efficiat. Nisi enim, ordinem, distinctumq; per interualla concentum in canendo adhibeas, modulamina certè nostra, precesq;, quas assiduè fundimus, aut nullæ sunt, aut uerius irritæ: quòd nisi diuinum quoq; pondus in hisce prægrauauerit, nihil mehercle illis aut leuius, aut iactantius: quòd si adhibeas, nihil aut grauius, aut sanctius esse potest. Erit igitur pondus hoc, pondus distinctum, suisq; spatijs admodum iucundum, quibus si adolescentiores, nouitijq; nostri assuescere, uobis præeuntibus didicerint, facilè fore speramus, ut obliteratæ penè maiorum nostrorum ceremoniæ, tantum splendorem nostra tempestate recipiant, quantum felicissimis nostris auspicijs assequebamur. Incredibile est, quantum incessus noster, uultus, habitus, supplicationes, flexiones, uox deniq; ipsa ad ueterem normam directa, quæ omnia præsens libellus edocet, sanctitatem illam priscam, et pietatem cõmendet. Et ne quid a ueteribus institutis diuersus abirem, multa quoq; de industria relicta sunt, quæ tacito quodã consensu, iam pridem exoleuerunt. Bene in Domino valete.

Incipiunt capitula ordinationum fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

INCIPIVNT ORDINATIONES FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI.

Quomodo, quando, et quoties campanæ pulsentur. Cap. I.

OMnibus diebus ferialibus, festis simplicibus, et semiduplicibus minoribus, et maioribus ad matutinũ, uesperas, et cõpletoriũ pro primo signo pulsetur cãpana media, pro secũdo minor prolixius sola, donec fratres ad chorum cõueniant. Ad primam, minor semel et prolixè, usquequò incipiant officium in choro fratres. Ad missam et tertiã campana media pulsetur. Ad eleuationẽ magna campana semel pluribus ictibus dum eleuatur hostia, et idẽ cum eleuatur calix; quæ etiã diluculo, meridie, et uesperi quotidie pluribus ictibus, ut consuetudo est, pro signo Aue maria, pulsetur. Ad nonã, ab inuentione Sanctæ Crucis, usque ad exaltationem eiusdem pulsetur pro secundo signo campana minor immediatè post Aue maria meridiei; in diebus uerò ieiuniorum pulsetur ad nonam, sicut in capitulo constitutionum de ieiunio Fratrum, notatum est.

In festis duplicibus minoribus ad matutinum, et utrasq; uesperas tribus uicibus, debito interuallo, media et minor campanæ simul pulsentur, minore prolixius, ut supra, in tertio signo, pulsante. Ad tertiam, et missam duæ campanæ pulsentur semel tantum. Ad eleuationem autem corporis Christi, ad primam, et ad completorium fiat, ut in diebus ferialibus.

In festis uerò duplicibus maioribus ad matutinũ, et vtrasq; uesperas, oẽs campanæ tribus vicibus, facto debito interuallo, pulsentur, minore semper sola, ut dictũ est, in ultimo signo prolixius sonante. Ad primam uerò, tertiam, missam maiorẽ, et hymnũ Te deum laudamus usq; ad uersum Pleni sunt in matutinis, omnes semel campanæ pulsentur; quod fit etiã ad eleuationem corporis Christi. Ad completorium bis pulsentur omnes, minore, ut dictum est, in fine prolixius, sonante.

In processionibus, quæ diebus festis per parochias, seu per claustrũ et ecclesiã fiunt, à principio usq; ad finem continuè omnes campanæ pulsentur: Et quando fiunt processiones per ciuitatẽ, fratribus ad conuentũ reuertẽtibus, atq; hymnũ Te deũ laudamus canẽtibus, idẽ fiat. Quod et in cõmemoratione omniũ fideliũ defunctorũ, quãdo fit processio per claustrũ, et ecclesiam, obseruari debet.

Notare oportet, quòd in Cœna domini cãpanæ pulsantur, ut in maioribus duplicibus, et præterea cũ incipitur Gloria in excelsis Deo, mox postea tolluntur funes, quoniã amplius eo die, et sequenti non pulsantur campanæ, sed tantum Tabulæ; nec in Sabbato sancto, nisi ad Gloria in excelsis, eleuationem corporis Christi, et completorium, ut fit in duplicibus maioribus.

Ad prædicationem, exequias defunctorũ, et anniuersaria eorũdem pulsentur campanæ, ut postulat ordo, et consuetudo patriæ, excepto quòd ad funus alicuius nostri fratris, siue sacerdos, siue professus, aut nouitius fuerit, pulsetur campana magna pro signo Aue maria; deinde immediatè simul, debito interuallo, tribus vicibus, omnes pulsentur.

Quando uersi ad altare, et quando uersis uultibus in choro stare debent fratres. Cap. II.

COngregatis in ecclesia fratribus per omnes horas, pulsato ultimo signo, Prior, uel supprior, seu qui maior est in choro, si ipsi non fuerint præsentes, faciat signũ, ut fratres genuflexi, si officiũ fuerit feriale, sin autem, inclinati æqualiter, et profundè dicant Pater noster cum Aue maria; quod semper in principio omniũ horarũ et

in fine fieri uolumus: quo finito, et signo ab eodē facto, hebdomadarius incipiat officiū uerso uultu ad altare, alijs fratribus simili modo stātibus, usq; ad Gloria patri, et tūc uertant se è regione inclinantes profundè usq; ad Sicut erat, et idem modus inclinandi ad Gloria patri, ubiq; præterquam in itinere, obseruetur.

Inuitatoria, cum psalmo Venite, omnes uersiculi, et ad matutinū et uesperas Benedicamus domino, siue cū nota, siue sine, à cantoribus semper dicātur uersis uultibus ad altare, alijs fratribus stantibus è regione cōuersis. Similiter cū hebdomadarius, uel alius frater incipit antiphonam, uel legit, aut cantat capitula, preces, et orationes, siue in loco suo, siue extra, semper uerso uultu ad altare, et capite discooperto stare debet.

Fratres quoq; oēs, quando cantantur antiphonæ, responsoria cum uersibus, uel aliquid aliud extra loca sua in medio chori, uersis uultibus ad altare stare debēt. Quod, cū dicitur dominus uobiscū, et cū spiritu tuo, et Qui tecū uiuit, seu Qui uiuis in primis oratiōibus ad missam seu uesperas, uel alias horas canonicas, donec respondeant Amē; et ad capitula, benedictiones cerei, candelarū, cinerum, palmarū, et panis. S. Nicolai; ad orationē, quæ dicitur post Asperges me, seu Vidi aquā, et quæ dicitur post antiphonā uirginis in cōpletorio, oēsq; alias, in quibus non inclinatur, nec genua flectuntur, siue sint in choro, siue in ecclesia, obseruare debent. In missis cōuentualibus similiter, præterq; ad Epistolam, ad uersum gradualis, si fuerit festum duplex uel semiduplex, et uersum Alleluia, quia tunc sedent. In reliquis autem, maximè quando communiter psallunt fratres, uersis uultibus, nisi inclinetur, stare debent.

Quando fratres sedere, et quando in ecclesia stare debent. Cap. III.

Quandocunq; psalmodia, et officium dicitur sine nota in ecclesia, omnes fratres stent erecti, præterquàm in psalmodia mortuorū, in qua fratres sedeant, siue cātetur, siue legatur, usq; ad Laudate dominū de cœlis: Similiter in psalmis gradualibus sedeant.

Quando uerò psalmi cantantur, ad unum psalmum sedeat unus chorus, ille scilicet, in quo antiphona non incipitur, et alius ad alium, et sic successiuè, siue sub una antiphona unus, siue plures psalmi dicantur: Sed ad psalmos Laudate dominum de cœlis, Laudate dominū omnes gentes, et, Quicunque uult; et in officio beatæ Mariæ planè dicto, et Benedictus, et Magnificat, et Nūc dimittis seruum tuum, et ad Hymnos, fratres stent erecti; siue legantur, siue cantentur.

Psalmodia, et aliud officium, cum sine nota dicitur, distinctè legatur, ita quòd finitis uersibus ab uno choro, alius chorus incipiat: et idem in officio beatæ Mariæ uirginis, et mortuorum obseruetur.

Quando uerò cantatur psalmodia, in puncto versus nō fiat protractio; sed pausa conueniens, et æqualis. In principio uero, et in fine, versum simul intonemus, et simul dimittamus; nullus ante alios incipere, et currere præsumat, aut post alios trahere, vel punctum tenere: simul cantemus, et simul pausemus.

Ad lectiones verò sedeant fratres, excepto cum de euangelio lectio recitatur. Quando verò legitur prophetia vna, vel plures, seu epistola, sedeant fratres vsque ad graduale: et si duplex, aut semiduplex festum fuerit, sedeant ad versum: ad alleluia deinde surgant, & sedeant ad versum, quo completo iterum surgant. Quando verò duplex alleluia cantatur, surgant ad primum, et quando est duplex, aut semiduplex, sedeant ad versum; deinde surgant ad secundum alleluia; sedeantq; ad versum eiusdem, vt supra dictum est.

Semper autem siue sit festum, siue non, post Orate fratres stent erecti, versis uultibus ad altare.

De afficio Cantorum. Cap. IIII.

IN quolibet chora sint duo cantares, unus ex una parte, & alius ex alia, qui distribuant singulas antiphonas per singulos fratres, à maiori incipientes unusquisq; ex parte sua, in uesperis et matutinis tatum: in alijs uerà horis à minori inchoetur. Cantor uerò, qui dat antiphonam, intonet psalmum usq; ad punctum, et salus reincipiat eandem post psalmum, nisi fuerit duplex maius, uel minus, et cantetur ab utraq; choro; et nunquã incipiatur antiphona à duobus ante psalmum.

Lectiones uerà legantur in choro, uel alibi, in loco in qua ab omnibus possint audiri, et semper à minoribus incipiatur. Responsoria nocturna cantent fratres in medio chori, sicut antiphonam, ubi sit unus liber ad cantandum communiter ad medium chori; et semper incipiatur a maiori ex utraque parte. Per hebdomadam uerò ferialibus diebus, si chorus clericis abundat cotidie diuidantur ex utraque parte, siue tria responsoria dicantur, siue duo, ut in tempore paschali, incipientes à fratre sequente, ubi praecedenti nocte dimissum est, usque ad ultimum successiue.

Et quãdo cantor incipit aliquam antiphonam ante psalmum, collateralis socius eius intonet psalmum usque ad punctum.

Cantores autem constituantur à priore mansuri, quantum sibi uidebitur expedire.

Quae absolutiones, et benedictiones ferialibus et festiuis diebus dicantur, ac de earũdem, lectionum item, capitulorum, et orationum tono. Cap. V.

CVM autem peruentum fuerit ad lectiones, lector, deposita clamide, capite discooperta, et inclinato uersus altare, à sacerdote dicta absolutione, recipiat benedictionem, quam sedendo, praeterquàm ad illam Euangelij, ad quã stat, dare debet. Absolutio autem et benedictiones tam in ferialibus diebus quàm in festiuis, ad primum nocturnum, hae sunt. Absol. Exaudi domine Iesu christe preces seruorum tuorum, et miserere nobis, qui cum patre et spiritu sancta uiuis et regnas in saecula saeculorum. Prima benedictio. Benedictione perpetua, benedicat nos Pater aeternus. Secunda, Vnigenitus dei filius nos benedicere, et adiuuare dignetur. Tertia, Spiritus sancti gratia illuminet sensus, et corda nostra. Ad secundum nocturnum Absolutia. Ipsius pietas, et misericordia nos adiuuet, qui cum patre et spiritu Sancto uiuit, et regnat in saecula saeculorum. Prima benedictio, Deus pater omnipotens sit nobis propitius, et clemens. Secunda, Christus perpetuae det nobis gaudia uitae. Tertia, Ignem sui amoris accendat deus in cordibus nostris. Ad tertium nocturnum absolotio, À uinculis peccatorum nostrorum, absoluat nos omnipotẽs, et misericors dominus. Prima benedictio, quando non dicitur euangelium, Ille nos benedicat, qui sine fine viuit, et regnat. Secunda, Diuinum auxilium maneat semper nobiscum, si nõ fuerit festum; si uerò fuerit, loco eius dicatur, Cuius festum colimus, ipse, uel ipsa intercedat pro nobis ad dominum; uel cuius natiuitatem colimus, ut in die sancti Ioãnis Baptistę vel cuius conuersionem colimus, ut in conuersione Sãctorum Pauli, et Augustini, uel Alma uirgo uirginum intercedat pro nobis ad suum filium, ut in omnibus solennitatibus Virginis. Si festum fuerit plurium dicatur, Quorum uel quarum festum colimus, ipsi uel ipsae intercedant pro nobis ad dominum. Tertia benedictio, Ad societatem ciuium supernorum, perducat nos rex angelorum.

Si uerò ad tertium nocturnum dicatur Euangelium,*benedictio erit*,Euangelica *lectio*, *sit nobis salus et protectio.Si duo* Euangelia,*ad secundum euangelium dicatur*,Per euangelica *dicta deleantur nostra delicta*,Si *uerò tria*,*ultima benedictio erit*,Verba *sancti euāgelij*,*doceat nos filius* Dei.

Q*uando autem fit de feria*,*benedictiones primi nocturni cum absolutione dicantur secunda*,*et quinta feria*;*Benedictiones secundi nocturni cum absolutione dicantur tertia*,*et sexta feria*; A*bsolutio autem et benedictiones tertij*,*quarta feria*,*et sabbato. Si uerò contingat quòd euangelium legatur*, *dicta absolutione competente illi feriæ*,*prima benedictio erit*, Euangelica *lectio etc*.Secunda, D*iuinum auxilium etc*. Tertia, Ad *societatem ciuium etc*.

L*ectiones cum* I*ube domne benedicere*,*quando cantantur*,*cantentur ut notatæ sunt in ordinario*,*et terminentur cum* T*u autem domine miserere nobis*,*præter sex lectiones quæ leguntur in secundo*,*et tertio nocturno in* C*œna domini*, P*arasceue et* S*abbato sancto*,*quæ in seipsis terminantur*, *quam terminationem habent et prophetiæ et lectiones mortuorum*. L*amentationes*, *et* O*ratio* I*eremiæ cantentur ut notatæ sunt*:*sed in fine earum dicatur* H*ierusalem* H*ierusalem conuertere ad dominum* D*eum tuum*.C*apitula finientur*,*ut infra notatum est*,*quo fine*,*absolutiones etiā*, *et orationes horarum diei terminantur* . B*enedictiones autem* , *ut lectiones* , *cantentur*. Q*ui in uesperis orationum tonus obseruatur* , *in matutinis quoq*; *obseruari debet*. E*t quando sacerdos cantat* D*ominus uobiscum*, O*rationes*,*et* B*enedicamus domino*,*in eodem tono respondeatur suspensiuè* E*t cum spiritu tuo*,A*men*, *et* D*eo gratias*.

Quando fratres debent flectere genua. Cap. VI.

IN *ferialibus diebus*,*ad horas canonicas*,*dum dicitur prima oratio* , *ab omnibus genua flecti debēt*,*usq*. *ad* Q*ui uiuit*.E*t idem fiat in orationibus beatæ uirginis*, *et quandocunq*; *dicitur* P*ater noster in principio horarum*,*et in fine*. Q*uando autem dicitur* P*ater noster ante lectiones*,*etiam in pretiosa*, *et in benedictione mensæ* , *et in agendis gratijs*,*non genua flectimus*,*sed semper inclinamus* , *Similiter quando dicitur* Credo *in deum in prima*, *completorio*,*suffragijs*, *et precibus*.

N*otandum*,*quòd satis est altius pronunciare in omnibus horis* P*ater noster* , *et* C*redo in deum*;*in vesperis tamen*,*et matutinis*,*totum pater noster altè dicitur*,*in suffragijs scilicet*, *non in principio*.S*acerdos ad omnes orationes quæ cantantur surgat*,*et erectus dicat*:*quando uerò non cantantur*,*dicat genibus flexis*.

I*n missa autem ferialibus diebus genua flectant fratres*,*cum dicitur prima oratio*,*ad alias orationes non flectant genua nisi in fine*,*cum dicitur* P*er dominum nostrum*,*usque ad* Q*ui uiuit*.

A*d orationes verò*,*quæ præcedunt prophetias*, *quando dicitur una*, *uel plures*, *non genua flectant fratres*: *sed dicto* F*lectamus genua*, L*euate*,*stent erecti uersi ad altare*, *vsque ad finē orationis*; *deinde flectant genua ad* P*er dominum nostrum*,*usque* Q*ui uiuit*. A*d illam tamen orationem*,*ad quā dicitur* D*ominus uobiscum*.*genua flectant*,*usq*; *ad* Q*ui uiuit*.

F*lectant etiam genua fratres*,*ad* G*ratias agamus domino deo nostro*,*in eleuatione corporis christi*, *in qua nudatis capitibus humiliter et deuotè orantes*,*dicant* T*u rex gloriæ christe etc*.*usq*; *ad finem*:*et sint versis vultibus è regione genuflexi*,*usq*; *ad per omnia sæcula sæculorum* . D*icto verò* A*gnus dei*,*sint genuflexi usq*; *dum debeat cantari* P*ost cōmunio*.I*dem obseruetur in omnibus diebus ferialibus*;*et quando in die festi missa de uigilia seu quatuor temporum*, *vel de feria in quadragesima cantatur*;*et idem fiat in missa de dominica*,*quando infra hebdomadam celebratur in fe*

ria,

ria, exceptis ministris altaris, qui ad eleuationem corporis christi, tantũ genuflectant, et ex tunc surgant, et stent erecti, et circa seruitia altaris sint intenti.

In orationibus quoq; psalmorum gradualium, et cũ dicitur pater noster, genua flectant similiter fratres: In omnibus uerò festis fratres non genua flectant, nisi cum dicitur Credo, ad Homo factus est, et ab eleuatione corporis christi usq; ad Per omnia sæcula sæculorum Amen Pater noster.

Flectant etiam genua semper, quando cantatur missa de beata virgine, ad Salue sancta parens, præterquàm in suis solẽnitatibus, in quibus inclinare debent, et etiam in missa de Spiritusancto, cũ dicitur uersus alleluia Veni sanctæ spiritus, ad illas tres dictiones tantum, Et in quadragesima ad Versum de tractu Adiuua nos deus; exceptis ministris altaris cum sacerdote: et ad Salue regina misericordiæ, et Aue regina cœlorum, ad illas tres primas dictiones tantum. Et similiter in ferialibus diebus, quando dicitur uersus hymni O crux aue spes unica, tantum.

In cœna uerò domini, in principio matutinorum fratres non flectant genua, sed inclinent ad signũ prioris, dicendo Pater noster, et idem faciant in principio omnium horarum ipsius diei: sed in Parasceue, et sabbato sancto, in principio matutinorum et horarum dicendo Pater noster, flectimus genua, sicut in fine, excepto in completorio sabbati sancti, in quo ad signum maioris præmittendo Pater noster, solummodo inclinamus. Prætereà in dominica palmarum, cum legitur passio secundum Matthæum, quando diaconus peruenerit ad locum Emisit spiritum, ipse diaconus, et omnes fratres prosternant se, modicum immorando: In feria tertia, in passione secundum Marcum cum venerit ad locum, Expirauit, faciant illud idem: Et feria quarta ad passionem secundum Lucam cum venerit ad locum Hæc dicens expirauit: et in parasceue ad passionem cum dicitur Inclinato capite tradidit spiritum, faciant illud idem.

Quando fratres debent inclinare. Cap. VII.

VBicunq; in ferialibus diebus genuflectitur, in festiuis inclinatur, præterq; in precibus primæ et completorij, in quibus fratres sint erecti, et è regione conuersi. In versiculis de gratijs simili modo stent: In duabus verò orationibus, quæ dicuntur in officio mortuorum in uesperis, et laudibus, in die festi, feria subsequente, scilicet, Deus veniæ largitor, et Fidelium deus, stent erecti, ad altare cõuersi, in prima aũt inclinent.

Ad nomen Iesu christi ubicunq; siue legatur, siue cantetur, Et ad nomẽ. B. Mariæ, et Sanctorũ pro tempore occurrentium, de quibus post primam orationem facimus commemorationem in vesperis, et matutinis, ac in missa, tantum inclinamus. Idem fiat ante refectionẽ ad Benedic nos domine, etc. et post refectionẽ ad Agimus tibi gratias etc. Ad Benedictus deus in donis etc. et Retribuere etc.

Quando etiam dicitur Te deum, ad Te ergo quæsumus famulis tuis. Et in Gloria in excelsis deo, quando dicitur, Adoramus te, et Suscipe deprecationem nostram, et in Benedictione sacerdotis in fine missæ, et in fine Hymnorum, et ad penultimum uersum cantici Benedicite, et in principio hymni Veni creator, ad tres dictiones, præterquàm cũ intratur capitulum generale, uel prouinciale; quia tunc genua flectuntur.

Similiter inclinamus in principio hymni Aue maris stella; Et quãdocũque inuitatorium Beatæ uirginis incipimus Aue maria, in prima vice tantum: et in solennitatibus Beatæ uirginis, cum dicitur in missa Salue sancta parens; et in psalmo Laudate pueri dominum, cum dicitur Sit nomen domini benedictum.

In inclinationibus quoq; conformemus nos moribus eorum, ad quos aliquando declinamus.

Quando fratres debent habere capita discooperta. Cap. VIII.

FRatres sint capite discooperto in introitu, et exitu Ecclesiæ coram altari, et in primis orationibus tàm horarum, quàm missarum, et in euangelio Homiliæ, et dũ dicitur Euangelium in missa, Et in eleuatione corporis christi: Et quando fratres communicant, et in benedictione sacerdotis post missam, et post completorium. In confessione quæ fit in prima et completorio, et ad cantica Magnificat, Benedictus, et Nunc dimittis, stetq; ad ea aliquantulum remoti à locis suis, uersis uultibus è regione: quod etiam obseruare debent ad Euangelium, ad illud ubicunque legatur, aut cantetur, se conuertentes.

Similiter et hebdomadarius cũ incipit Officium, dicit Capitulum, et Orationes: et qui cantant Versus responsoriorum nocturnorum, et Responsoria breuia, et Versiculos dierum, et Alleluia cum suis uersiculis: et qui incipiunt Antiphonas: et qui seruiunt in conuentualibus missis et priuatis, capita discooperta habere debent.

De inuitatorijs, uersiculis, benedicamus, et responsorijs breuibus, à quibus scilicet dicantur. Cap. IX.

IN ferialibus diebus per totum annum, et ab octaua Resurrectionis usque ad Ascensionem, et in festis simplicibus, Inuitatorium, et Venite, Versiculi, Breuia responsoria, et Benedicamus, ab uno fratre dicantur in loco suo. In omnibus dominicis diebus, et festis semiduplicibus incipiantur, et finiantur à sacerdote uesperæ, et matutini tantum, ante inferiorem gradum altaris.

His uerò diebus pulpitum, in quo dicenda est oratio, in utrisque uesperis, et matutinis sit tobalea coopertum.

Inuitatorium, et Venite, et responsoriorũ Versiculi cantentur ad pulpitum in medio chori à duobus: Breuia uerò responsoria, et uersiculi dicantur à duobus ante gradum altaris; et benedicamus in matutinis, et in utrisque vesperis similiter à duobus ibidem dicatur.

Qualiter in festis minoribus duplicibus officium incipiatur in vesperis, & matutinis. Cap. X.

IN minoribus uerò duplicibus in utrisque uesperis et matutinis cantores cottis induantur, sine pluuialibus: in principio uerò altare non thurificetur in utrisque vesperis et matutinis et missa, sed simpliciter hebdomadarius sine cotta et pluuiali incipiat officium coram altari, ante inferiorem gradum altaris, rediens, post gloria patri, ad locum suum.

In ultimo autem psalmo ante capitulum, hebdomadarius cum cotta desuper amictu et pluuiali, & thuribularius cum duobus Acolythis camiseis, et cottis indutis, à priore thurificetur tantũ maius altare. Chorus uerò à thuribulario. Cætera uerò omnia, sicut in maioribus duplicibus fiant uesperorũ et matutinorũ. Acolythi et thuribularius lotis manibus induti camiseis, si haberi possunt, et superpelliceis, uel cottis, præueniant sacerdotem in sacristia, ad induendum. et exuendum eum, et vltimò superpellicea, uel cottas deponant, et hunc modum in utrisq; uesperis, et matutinis, et missa obseruent.

Qualiter

Qualiter in festis maioribus duplicibus officium vesperorum, et matutinorum incipiatur, et perficiatur. Cap. XI.

IN festis maioribus duplicibus, immediatè post secundam pulsationem, in utrisque uesperis, et matutinis, prior, uel alius loco eius induatur camisea desuper amicto, et pluuiali, cum duobus cantoribus indutis pluuialibus, ubi commodè haberi possunt, et duobus acolythis, et thuribulario, qui camiseis uel cottis induantur, ita quod in principio tertiæ pulsationis sint uestiti, et præparato thuribulo, et luminaribus accensis, hoc ordine, de sacristia exeuntes, procedant. Primo præcedant simul iuncti ceroferary; deinde thuribularius dextera manu portans thuribulum, et sinistra nauiculam cum incenso, tertio cantores: qui, mox ut ad gradum altaris peruenerint, accipiant a thuribulario dexter thuribulum, sinister nauiculam: ultimò prior uel alius loco eius coram altari procedat, et stans in medio cantorum, ponat incensum in thuribulo: quo accepto de manu cantoris, flectat genua in supremo gradu coram altari, et adoleatur maius altare tantum, et osculato eo, reddat cantori thuribulum, et cantor thuribulario; et descendēs ad ultimum gradum altaris thurificetur à thuribulario prior primùm; deinde cantores; et in eodem loco dicto Pater noster, officium, more solito, inchoetur; finito gloria patri, usque ad Sicut erat, prior ad locum suum uadat, et cantores similiter cum cæroferarys, et acolytho. Cantores uerò omnia, quæ ad officium eorum spectant, per omnes horas festi duplicis simul incipiant, distribuendo per singulos fratres antiphonas, et cætera omnia, ut in superiori rubrica continetur.

Et nota, quòd quandocunque Te deum laudamus dicitur in festis simplicibus et semiduplicibus, et dominicis diebus, semper ab uno cantore incipitur in loco suo: in festis uerò maioribus, et minoribus duplicibus à duobus cantoribus coram altari; et similiter, uer. Per singulos dies; quod idem de omnibus hymnis dicimus obseruandum. Laudes uerò semper incipiat prior, seu hebdomadarius in loco suo. Benedicamus uerò in utrisque uesperis, et matutinis, cum inuitatorio, coram altari dicatur. Responsoria uerò ad pulpitum incipiantur à duobus, cæteris adiuuantibus, uersus autem ab ipsis inceptoribus dicatur. Versiculi uerò coram altari à duobus dicantur, præter uersum dicendum in commemoratione sanctorum occurrentium in duplici festo, qui à fratre solo ad hoc ordinato, uel cantore tantum, qui est ex parte hebdomadary, dicatur.

Et post thurificationem factam in principio matutini, prior, thuribularius, et acolythi deponant indumenta prædicta, quæ in Laudate dominum de cœlis, resumant; et thuribularius tūc, posito thuribulo, ministret priori, uel hebdomadario de lumine, et libro, in quo capitulum dici debet: dicto uerò capitulo, resumat ut prius thuribulum cum incenso, ceroferary uerò uersi ad altare stent in inferiori parte, in capite utriusque chori ex utraq; parte prioris, uel hebdomadary existentis in sede sua: et dicto ibidem capitulo à priore, et incepto cantico Benedictus à cantoribus, præcedentibus ceroferarys, et thuribulario, et cantoribus usque ad medium altaris, procedat prior, et incensetur tantum altare maius, quod ad Magnificat tantum et Benedictus incensari uolumus.

Thuribularius uerò, accepto thuribulo a cantore, primò incenset priorem, postmodum cantores, deinde chorum, à parte maioris semper incboando, et una tantum uice quilibet adoleatur. Quo facto, et reposito thuribulo in loco suo, paret pulpitum cum libro orationis, ante inferiorem gradum altaris: et ad orationem post Magnificat stet post sacerdotem, ad orationem uerò post benedictus, accensa candela, seruiat de ea sacerdoti.

Finitis autem uesperis, et matutinis, et dicta oratione dominica, reuertantur in uestiarium, eo ordine,

quo uenerunt; atque exuant se, prout in rubrica de missa continetur; quod semper obseruari volumus.

Quando, et qualiter altare debeat incensari. Cap. XII.

ALtare uerò ante initium uesperorum, et matutinorum, ad Magnificat etiam, & Benedictus, in maioribus duplicibus incensatur: quandocunq; autem ad Magnificat, et ad Benedictus incensatur, prior in supremo gradu genua flectat coram altari, deinde surgens, ad mediũ altaris incipiat extensa manu, versus corpus christi, uel crucem, et ter adoleat, et procedat ad dextrum cornu altaris, et ter incenset, breuiter transiens usque ad sinistrum illius, et faciat simili modo: et ducta manu conuenienter ante altare a sinistra in dexteram, reuertatur ad medium non incensando: et osculato altari, reddat illud cantori, sicut superius dictum est.

In omni uerò missa conuentuali in duplicibus, semiduplicibus, et dominicis diebus, semper altare incensetur post calicis oblationem. In maioribus uerò duplicibus etiam in principio, prout in rubrica de missa conuentuali continetur.

In incensatione calicis, hic modus obseruabitur. Accepto thuribulo, sacerdos ter faciat crucem cũ eo super oblatam, et calicem: post modum ter circundet calicem, et oblatam: deinde ad crucem extendat manum ipsam, ter incensando; postmodum ad dexteram partem altaris ter deducendo manũ, et transiens ad sinistram similiter faciat. Et deducta manu conuenienter incensando altare à sinistro cornu in dextrum, deinceps ad medium altaris cum thuribulo non reuertatur, sed reddat illud ministro.

De luminaribus habendis in missis, et altari. Cap. XIII.

IN diebus ferialibus, et festis simplicibus, semper in conuentuali missa habeantur duo, uel ad minus unum luminare, in missis quoq; priuatis similiter: et in vesperis, et matutinis, et completorio Beatæ Virginis similiter continuè ante maius altare tantum. In diebus autem dominicis, et festis semiduplicibus duo luminaria ceræ habeantur in missa super altare, et unum in vesperis et matutinis coram maiori altari tantum. In festis uerò maioribus, et minoribus duplicibus, duo tantum cerei super candelabra ante altare maius in uesperis, & matutinis tantum habeantur, qui non extinguantur, vel quatuor in solennioribus Ecclesiis.

In missa uerò conuentuali, duo super altare ad minus, & duo super candelabra à ceroferarijs deportentur. Hoc autem fiat, si commodè possunt haberi cerei, uel faculæ. Lampas uerò semper ardeat coram altari.

In cœna uerò domini, in matutinis quindecim candelæ ante altare præparentur, et ante matutinum accendantur: quarum singulæ ad inceptionem uniuscuiusq; psalmi, una hinc, et altera inde, à sacrista extinguantur. Similiter fiat in sexta feria, et Sabbato sancto.

De cereo benedicendo in Sabbato sancto, fiat sicut in missali continetur, & accendatur in matutinis, missis, et uesperis Resurrectionis. Item in festis maioribus, et minoribus duplicibus, dominicis diebus, et semiduplicibus, usque ad ascensionem in missis conuentualibus, et uesperis tantum accendatur, exceptis proprijs luminibus assignatis.

Qualiter

Qualiter officium miſſæ pro defunctis debeat celebrari. Cap. XIIII.

SEquenti die poſt feſtum omnium ſanctorum, ad modum minorum duplicium, veſperæ et matutinum, et miſſa eclebrentur. Sed in prima feria poſt feſtum ſanctæ Agathæ, et poſt octauam uiſitationis Beatæ Virginis, ſi non contingat aliquem prædictorum dierum occurrere in dominica, ueſperæ et matutinum, et miſſæ celebrentur ad modum ſemiduplicium, cum ſequentia Dies illa: alioqui transferatur in diem ſequentem. Per eundem modum, ſiue in feria, ſiue in dominica, ſi contingat aliquem fratrem decedere, officium compleatur, ſi hora competens ſuſtinebit.

Orationes in ſupradictis diebus in ueſperis, quando dicendæ ſunt, et in matutinis, dicantur in tono de miſſa.

De oratione cœmeterij. Cap. XV.

QVando contingit tranſire per cœmeteria, pium eſt orare pro defunctis, dicendo pſalmum De profundis clamaui ad te domine, cum Requiem æternam, et Pater noſter. Ver. Et ne nos inducas in tentationem. Reſpõ. Sed libera nos à malo. Ver. A porta inferi. Reſpon. Erue domine animas eorum. Ver. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. uel Ver. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te ueniat. Oremus. Deus cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt: famulis et famulabus tuis omnibus, hic et ubiq; in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Qualiter in cœna domini procedatur à fratribus in mandato. Cap. XVI.

IN cœna domini, poſt nudationem altarium, hora, qua uidebitur maiori, facto ſigno cum tabula à ſacriſta, fratres conueniant in capitulum, uel clauſtrum ad faciendum mandatum, ibiq; deuotè ſedeant cum ſilentio congregati; et diacono de ſacriſtia parato ad dictum locum aduenienti cum ceroferarijs, et thuribulario cum incenſo, omnes aſſurgant: & dicto Dominus vobiſcum, et incenſato libro, diaconus cantet euangelium ipſius diei, ſcilicet, Ante diem feſtum paſchæ: eo verò cantato reuertantur ad ſacriſtiam ordine, quo uenerunt.

Cantor uerò, adiunctis ſibi aliquibus fratribus, incipiat cantare mandatum, et tunc ſint duo, uel plures, ſecundum diſcretionem prioris, diſpoſiti ad miniſtrandum: quorum unus peluim pedibus fratrum ſupponat, incipiens à ſupremo, et idem lotionem effundat; alius ſeruiat de aqua calida, et frigida, ſicut ipſa neceſſitas ſuadebit. Prior uerò, et maioris auctoritatis fratres, linteis mundis accincti lauent, et extergant, atque oſculentur fratrum pedes. Ibidem autem habeatur uas paratum, in quo recipiantur omnium lotiones. Interim cantentur cantanda in parte, uel in toto, ſecundum quód paucitas, vel multitudo requirit. Si uerò uideatur priori, cum alia pelui, ex alia parte aſtantium, in lotione pedum procedi, modus ſimilis obſeruetur.

Completa itaque lotione pedum, ac omnibus uaſculis de medio remotis, fiat ſermo.

Quo facto, parato potu à miniſtris, fratres bibant. Interim lector menſæ lectioné legat, incipiens illud Ioannis tertiodecimo capitulo, Amen amen dico uobis, non eſt ſeruus maior domino ſuo: &

prosequatur lectionem usque ad uersum inclusiuè, ubi dicitur, Surgite eamus hinc. Et tunc ad signum maioris, omnes fratres surgentes, bini et bini intrent ecclesiã, cõpletoriũ in cõmuni dicturi.

De modo processionis faciendæ. Cap. XVII.

QVando fiunt processiones uniuersales per ciuitatem, Prior, signo campanellæ capituli, congreget fratres in choro, quibus congregatis, faciat signum ut exeant, & primò incedant duo simul iuncti ceroferary cum cottis seu camiseis induti: deinde acolythus uel subdiaconus, superuestitus dalmatica ferens crucem ad hoc ordinatam; post crucem fratres bini et bini debita et æquali distantia, donec completa fuerit processio: in reuersione autem, cùm prope monasterium fuerint fratres, cantetur hymnus Te deum laudamus. Cum uerò fiunt solenniter ante missam conuentualem per parochiam, seu per claustrum, et ecclesiam seruetur talis ordo. Primò quidem procedant, ut supra, ceroferary, deinde crux, tertio fratres bini & bini graui ac modesto incessu; præterea thuribularius in dextera manu thuribulum, in sinistra nauiculam tenens; ad hæc cantores duo uel quatuor, pluuialibus induti bini et bini; ultimò Prior uel sacerdos celebraturus missam casula super indutus, à cuius latere sinistro incedat diaconus, dalmatica superindutus. Qui ordo seruetur etiam quando processiones fiunt post missam, excepto quòd Prior, uel alius loco eius non casula, sed pluuiali sine diacono et subdiacono incedere debet. In purificatione Beatæ Mariæ matris Dei, candelis benedictis accensis; et in Dominica palmarum, cum ramis oliuarum uadant ad processionem, sacerdote, celebraturo missam, pluuiali superuestito, post omnes, incedente.

Quando autem pro mortuis die lunæ fiunt processiones, Primò procedant dua fratres, alter cum aqua benedicta, alter cum incenso et thuribulo fumigante cottis induti, aspergentes, et incensantes, quæ in ecclesia, cœmeterio, claustro, et sacristia existunt, sepulturas. Deinde subdiaconus dalmatica indutus ferens crucem; post quem fratres cantantes Responsorium Libera me domine, bini et bini; ultimo sacerdos pluuiali indutus cum diacono portante librum, in quo sunt orationes per sacerdotem dicendæ. Cum autem peruenerint ad mediũ ecclesiæ, stent, et cantatis Kyrie eleison Sacerdos dicat Pater noster. Ver. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Ver. A' porta inferi. Resp. Erue domine animas eorum. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Tunc fratribus se ad crucem conuertentibus (quod semper in omnibus processionibus fieri uolumus) dicat sacerdos Oremus, Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate uigere: præsta quæsumus, ut eorum quoq; perpetuo aggregentur consortio. Per christum dominũ nostrũ. Resp. Amen. His finitis, prosequantur processionem cantando aliquod responsorium seu uersum mortuorum usq; ad cœmeterium, ibiq; dicatur à sacerdote, ordine præfato, Oratio, Deus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt; famulis & famulabus tuis omnibus hic, & ubiq; in christo quiescentibus, da propitius ueniam peccatorum; ut à cunctis reatibus absoluti tecum sine fine lætentur. Per christum dominum nostrum. Deinde cantando, ut supra, vadant ad claustrum mortuorum, & ibi eodem ritu dicat sacerdos orationem, Deus ueniæ largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiã tuã, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, et benefactores nostros, qui ex hoc sæculo trãsierũt, beata Maria semper uirgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per christum dominum nostrum. Postea ad sacristiam, ubi eodem ordine dicetur oratio, Propitiare quæsumus domine animabus famulorum, famularumq; tuarum, mi-

sericordia

sericordia sempiterna: ut mortalitatis nexibus expeditas, lux eas æterna possideat. Per christum dominum nostrum. Deniq; in choro redeant cantantes Lux æterna luceat eis domine cum sanctis tuis in æternum, quia pius es. Ver. Requiem æternam dona eis domine; et lux perpetua luceat eis. Cum sanctis tuis in æternum, quia pius es. Quo finito, sacerdos pro complemẽto processionis ante maius altare dicat orationem Fidelium deus omnium conditor, & redemptor: animabus famulorum, famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optauerunt; pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas cum deo patre, in unitate spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæculorum. Resp. Amen. Ver. Requiem æternam dona eis domine. Resp. Et lux perpetua luceat eis. Cantores posteà immediatè alta uoce dicant Requiescant in pace. Resp. Amen. Vbi uerò non sunt claustra, aut cœmeteria, nec in sacristia sepulturæ, facta processione in ecclesia circũcirca, et fratribus in medio versis uultibus congregatis, à sacerdote dicantur modo prænominato hæ tres tantum orationes, Deus, scilicet, qui inter apostolicos etc. Deus ueniæ largitor etc. et Fidelium Deus omnium etc. Idem modus seruetur in cõmemoratione omniũ fidelium defunctorum, excepto quod semper oratiões dicãtur uniuersales pro defunctis. Primo loco, Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, præsta quæsumus; ut animæ famulorum, famularũq; tuarum à terrenis exutæ contagijs, in tuæ redemptionis parte numerentur. Qui uiuis & regnas in sæcula sæculorum. Resp. Amen. Secundo loco, Animabus quæsumus domine famulorum, famularũq; tuarum oratio proficiat supplicantium; ut eas & à peccatis omnibus exuas, et tuæ redemptionis facias esse participes. Qui uiuis et regnas in sæcula etc. Tertio loco, Supplices domine pro animabus famulorum, famularũq; tuarũ preces effundimus obsecrantes; ut quicquid conuersatione contraxerunt humana, et clementer indulgeas, et in tuorum sede lætantium constituas redemptorum. Per christum dominum nostrum. Quarto loco, Deus vitæ uiuentium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta propitius, ut animæ famulorum, famularũq; tuarum à nostræ mortalitatis tenebris absolutæ, beata Maria semper virgine intercedente, in perpetua cum sanctis tuis luce lætentur. Per christũ etc. Vltimo loco, Fidelium, ut supra. Sed ubi desunt claustra, cœmeteria, aut in sacristia sepulturæ, dicatur in medio ecclesiæ duntaxat oratio, Fidelium deus etc.

Qualiter orationes debeant terminari. Cap. XVIII.

ORationes quæ ad patrem, sine personæ alterius expressione diriguntur, sic concluduntur: Per dominum nostrum iesum christum filium tuum, qui tecum uiuit et regnat in unitate spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæculorum: ut est in illa de beata uirgine Concede nos; et consimiles. Similiter et in illa, in qua fit mentio de trinitate, Omnipotẽs sempiterne deus, qui dedisti etc. Orationes uerò quæ ad patrẽ cũ expressione filij diriguntur, quædam sic concluduntur: Per eundem dominum nostrum iesum christum filium tuum, etc. ut est in illa de die natiuitatis, Concede quæsumus omnipotens deus, ut nos unigeniti tui etc. quædã sic: Qui tecum etc. ut prius, ut est illa in secunda dominica de aduentu, Excita domine corda nostra etc. et consimiles. Sunt et aliæ orationes, quæ ad patrem diriguntur, in fine quarum fit mentio de filio, et hoc per rectũ, hoc modo. Iesus christus dominus noster, qui tecũ. etc. sicut in oratione tertia, dicta in benedictione palmarum, Deus qui dispersa congregas. Vel per obliquum sic. Dominum nostrum iesum christum, qui tecũ etc. sicut in oratione de sancto Stephano Da nobis, quæsumus domine, imitari, etc. et in illa, Deus qui salutis æternæ, et in consimilibus.

Orationes uerò quæ ad filium diriguntur, sic concluduntur. Qui uiuis et regnas cum deo patre, in unitate spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæculorum; vt est illa in prima Dominica aduentus, Excita, quæsumus domine etc. et consimiles.

Orationes verò quæ ad patrem, et filium, et cum expressione spiritus sancti diriguntur, sic concluduntur. In unitate eiusdem spiritus sancti deus, per etc.

Orationes autem, quæ ad ipsam Trinitatem diriguntur, sic concluduntur. Qui uiuis, & regnas deus, per omnia sæcula sæculorum; ut est illa, Placeat tibi sancta Trinitas, in fine missæ.

Qualiter altaria parentur in diebus festiuis, ac ferialibus. Cap. XIX.

ALtaria nostra à sacrista in maioribus & minoribus duplicibus honorabilibus ornamentis parentur: Dominicis uerò, & semiduplicibus diebus, ubi commodè haberi possunt, minus ornentur, omnibus autem alijs diebus altaria seruentur in vestibus albis. In quolibet etiam altari, præter corporale, tres tobaleæ tempore consecrationis habeantur ad minus.

Posteà duo manutergia in sacristia habeantur, unum ad opus sacerdotum, & aliud ministrorum. Et neq; sacerdotes, neq; ministri eis utantur, nisi quãdo debeãt celebrare, vel tangere sacra, seu libros.

Sacrista verò corporalia, calices, sacras uestes, et ornamenta, cum vtensilibus sacristiæ munda semper conseruet. Ipsa uerò purificatoria, & tobaleas ad sacrificandum, sacrista tantum, uel alius frater lauet. Vtensilia uerò sacristiæ, & ecclesiæ, uel tobaleæ, nullatenus ad communes, uel exteriores usus deportentur.

In præparatione uerò altarium, non solum caputia deponantur, sed etiam clamides. Et quandocunq; aliquod seruitium circa altare fieri ab aliquo oportebit, idem cum reuerentia obseruetur.

De coloribus ornamentorum, quibus ministri altaris, in diuersis temporibus & diebus debent uti. Cap. XX.

IN locis nostris, in quibus sunt diuersorum colorum ecclesiastica indumenta, fratres diebus, & temporibus infrascriptis, eis utantur. Violatis ornamentis, seu nigris, ab aduentu usq; ad uigiliam natiuitatis domini inclusiuè: Et à septuagesima usq; ad sabbatum paschæ utantur. Idem in uigilijs, & diebus afflictionis, et in missis pro peccatis, ac defunctorum obseruetur. In festo etiam innocentum similiter fiat.

Albis uerò, in tertia dominica Aduentus, & quarta Quadragesimæ, in Natiuitate domini, Epiphania, Conuersione sancti Pauli, Purificatione, et in omnibus festiuitatibus, ac missis beatæ Mariæ, in Cathedra sancti Petri, Cœna domini, Resurrectione, et usque ad Ascẽsionem, in Ascẽsione, et per octauam, in festo sanctæ Trinitatis, et Corporis christi, in Natiuitate sancti Ioãnis Baptistæ, in festiuitatibus Angelorum, & sanctorum Cõfessorum, atque Virginum, & in Dedicationibus ecclesiarum.

Rubeis autem, in Circuncisione, in die Penthecostes, & per octauam, in festiuitatibus sanctæ Crucis, in festo apostolorum Petri et Pauli, in Decollatione sancti Ioannis Baptistæ, in solemnitatibus Apostolorum, et Martyrum, in festiuitate Sanctæ, quæ simul est uirgo et martyr.

Viridibus uerò in dominicis diebus, et ab octaua Penthecostes usq; ad primam Dominicam de aduentu exclusiuè, Et ab octaua Epiphaniæ usq; ad Septuagesimam exclusiuè.

De agendis in missa conuentuali per sacerdotem, & ministros: præcipuè in maioribus duplicibus, & semiduplicibus, & Dominicis diebus. Cap. XXI.

QVando missa in conuentu fuerit celebranda, ministri altaris, audito primo signo, lotis manibus, se non differant præparare. Et in primis acolythi, & thuribularius camiseis induti, uel cottis, ut in maioribus, et minoribus duplicibus, alios ministros iuuent. Nihilominus tamen subdiaconus, & diaconus iuuent se mutuò, et ambo sacerdotem. In huiusmodi autem præparatione, sic uestes communes sunt sub ecclesiasticis indumentis aptandæ, ne gibbus aliquis appareat notabilis in humeris fratrum.

Hora autem competenti, acolythi cereos deferendos accendant: Sacrista autem prouideat, quòd ante inchoationem missæ, semper cerei altaris accendantur. In festis uerò simplicibus, & semiduplicibus, et dominicis diebus, & minoribus duplicibus accendantur duo. In maioribus uerò duplicibus, ad minus quatuor. Prouideat etiam, quód pro tempore frigoris, prunæ accensæ in patella decenti habeantur, per acolythos ministrandæ tempore opportuno.

In dominicis autem diebus prouideat etiam sacrista de aqua benedicta posita in decẽti uasculo cum aspersorio super gradum ante altare: quæ cum fuerit aspergenda, acolythus unus ante sacerdotem uel diaconum præcedat de sacristia; et ueniẽs ante altare, accepto uasculo cum aqua de gradu, semper stet, et uadat ad dexteram sacerdotis, sacerdos flexis genibus, altare prius aspergat, cauens ne nimis de aqua super proyciat: postmodũ cantores simul iunctos, et ante pulpitum paratos, si fuerit festum duplex, uel minus duplex, deinde fratres in choro, incipiens à dextris, nisi quando, nullo prælato existente in dextro choro, prior aliquis fuerit in sinistro, uel quãdo priore aliquo conuentuali existente in dextro choro, maior prælatus fuerit in sinistro; et post immediatè aspergenda est aqua in dextro: post fratres uerò, si affuerint, aspergantur sæculares. Prædictus modus seruetur in thurificando, et dando pacem; Illos qui in ecclesia exteriori fuerint aspergat, si cõmodè fieri poterit, antequàm oporteat eum redire ad dicendã orationẽ. Et dicto Asperges me à conuentu, sacerdos, uel diaconus stando ante inferiorem gradum altaris acolytho existẽte post eum deposito uasculo cum aqua benedicta, in loco suo dicat Ver. Ostende nobis domine misericordiam tuam. Resp. Et salutare tuum da nobis. Ver. Domine exaudi orationẽ meã. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Ver. Dominus uobiscũ. Resp. Et cũ spiritu tuo. Oremus. Exaudi nos domine sancte pater omnipotẽs etc. Hoc dicto, sacerdos, uel diaconus reuertatur in sacristiã, acolytho præcedẽte.

Incepto itaq; introitu à conuentu, prædicti ministri procedant ad altare hoc modo, Primò acolythi cereis accensis cũ candelabris decentibus, quorũ unus ad sinistram, alter transeat ad dextrã; hos sequatur thuribularius remanens in dextra; post quos subdiaconus epistolarium, deinde diaconus missale, coram se deferentes pectori apodiata, sinistra manu supposita, et dextra librum tenendo, subdiaconus in sinistra, et diaconus remaneat in dextra. Vltimò sacerdos iunctis manibus ante pectus, qui cũ ad altare peruenerit, in medio diaconi, et subdiaconi positus inclinet cum eisdem.

Dictoq; à sacerdote Introibo ad altare dei, et alys quæ sequuntur, sicut est in missali, ad confessionẽ inclinent, genibus non curuatis, stantibus acolythis erectis, uersis ad altare. Itaq; confessione facta, et absolutione erigant se, et dicat sacerdos Ver. Deus tu conuersus etc. Resp. Et plebs tua. etc. Ver. Ostẽde nobis etc. Resp. Et saluta. etc. Ver. Domine exaudi etc. Resp. Et clamor meus etc. Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spi. etc. Et tunc inclinatus dicat orationẽ, Aufer à nobis, aliquantulũ altè. Qua dicta, accedens ad altare dicat orationem, Oramus te domine etc. in secreto,

deinde osculetur illud. Interim diaconus ponat missale in dextro cornu altaris, et subdiaconus epistolarium ad sinistram, appodiando illud in parte posteriori altaris, et acolythi deponant cereos cum candelabris in locis suis, in vltimo scilicet gradu altaris, extinguentes eosdem, si determinati ecrei sint accensi, alioqui dimittant eos accensos.

Incensetur altare, si est maius duplex (in minoribus enim duplicibus, ut supra dictum est, in principio non incensatur.) Tunc oẽs conuenientes ad librum dicant introitum, et Kyrie eleison, hoc ordine cõmorantes, ut sacerdos sit in medio diaconi et subdiaconi: in oratiõe uerò maneat diaconus post sacerdotẽ, et subdiaconus post diaconũ, ultimò thuribularius. Sed in prosecutione Gloria in excelsis, quæ fit in medio altaris, diaconus stet ad dextram, et subdiaconus ad sinistrã; In prosecutione verò Credo in deum, Offertorium, Sanctus, et Agnus dei, Diaconus stet ad sinistrã, ubi est missale, et subdiaconus ad dexterã. Deinde ordinent se, scilicet diaconus post sacerdotẽ, et subdiaconus post diaconem, et acolythi duo à leua et dextra, in vltimò gradu altaris, et thuribularius stet post subdiaconẽ. Et hic modus stãdi per totam missam seruetur, nisi sint in aliquo ministerio occupati.

Si uerò festum fuerit duplex, poterũt omnes ire sessum, tali ordine seruato, ad dextram sacerdotis sedeat diaconus, et ad sinistram subdiaconus, et acolythi hinc et inde, et thuribularius iuxta unum illorũ. Et tunc acolythus, qui est in dextra, accepta tobalea ante sacerdotẽ, diaconum, et subdiaconũ eam cũ altero acolythorũ extendat: Et idem faciat, quando post orationẽ, uel orationes sedebunt. In fine uerò Kyrie eleison, surgat sacerdos, et in medio altaris stans, eleuatis manibus incipiat Gloria in excelsis, si dicendum fuerit; cum aũt dicit, Deo, iungat manus: deinde simul ibidem ministri venientes prosequantur inceptum cum sacerdote, stantes, ut superius dictum est. Cauendum est autem ministris, et alys fratribus, ne transeant, dum aliquid instat agendum, inter ministros & gradus maioris altaris, sed retrò.

Completo Gloria in excelsis deo à cõuentu, uel Kyrie eleison pro tẽpore, osculetur medium altaris, & uertens se ad populum incipiat Dominus uobiscum. Et diaconus non flexis genibus, nisi Episcopus celebrauerit, aut Cardinalis, leuiter casulam per inferiorem trahat extremitatem. Cum aũt dixerit Dominus uobiscum, iunctis manibus, non girando, reuertatur ad librum, et eleuatis manibus ut prius, dicat orationem. Prædicta enim manuum eleuatio sic debet fieri, ut altitudinem humerorum sacerdotis non excedat. Extensio uerò tanta sit, ut retrò stantibus manus appareant euidenter. Ibidem uerò terminentur omnes orationes dicendæ ante epistolam.

Quando dicendum est flectamus genua, stans ad dextrum cornu altaris, et non cõuersus ad populũ incipiat absolutè Oremus, sine dominus vobiscum. Et facto modico interuallo, postquàm diaconus dixerit flectamus genua, subdiaconus dicat Leuate; Deinde absolutè prosequatur collectam. Finita collecta, dicitur lectio, si una, uel plures dicendæ sunt, et singulis prophetys singulæ præmittũtur collectæ, in quibus idẽ modus seruetur, præterquàm in ultima oratione, quæ præcedit epistolam, in qua semper sacerdos uertens se ad populum, ut prædictum est, dicit Dominus uobiscum.

Deĩde legitur epistola in solẽni pulpito super chorũ, si habetur, si festũ fuerit duplex, uel minus duplex: et tunc, præcedente acolytho, subdiaconus portans epistolariũ ante pectus, ut dictum est, uadat ad pulpitũ paratum, et legat epistolã; Alioqui epistola semper legatur in pulpito parato in inferiori gradu, contra medium altaris. Quando uerò cantatur Epistola, et Euangelium, uel Passio super pulpitum in omni missa conuentuali, sit tobalea coopertum, siue sit dies festiuus, siue ferialis, præterquàm in pa asceue.

Cantata uerò epistola, subdiaconus cum acolytho in sacristiam discedat, et paret calicem, collocando hostiam super patenam, et uinum tantũmodo calici infundẽdo, et sic paratum ibi dimittat. Inte

reà

redùerò sacerdos cum diacono, portato libro ab altero acolythorum, legat epistolam cum graduali, et alijs, quæ ante euangelium legenda sunt: et subdiaconus, paratis omnibus, reuertatur ad altare, ortans corporale plicatum uelo coopertum, præcedente acolytho in eundo, et redeundo de sacristia; quod diaconus accipiens extendat super altare, ita quòd longitudo corporalis in longitudinem altaris extendatur, nec propter puluerem usq; ad oblationem calicis explicetur. Corporale autem quod supponitur calici, habeat quatuor plicas in longitudine, et tres in latitudine.

Cum uerò dicitur in missa Veni sanctæ spiritus, in inceptione eius surgant sacerdos et ministri, et non flectant genua, sed stent, quandiu cantatum fuerit spiritus, capita inclinantes; deinde, choro surgente, sedeant. Circa finem Alleluia, uel Graduali, uel Sequētiæ pro tempore, subdiaconus missale reponat ad altaris sinistrum, acolythi etiam cereos accendant, et thuribularius paratum thuribulum tradat subdiacono, retento uasculo cum incenso: & benedicto incenso à sacerdote dicente In nomine patris & filij, & spiritus sancti, ad petitionē subdiaconi, diaconus de sinistro cornu altaris accipiat librum clausum, & genuflexus ante altare faciat orationem, deinde surgat, et inclinatus coram sacerdote, dicat Iube domne benedicere; & sacerdos surgens subiungat Dominus sit in corde tuo et in labijs tuis, ut dignè ac etc. sicut est in missali, & sic procedant ad pulpitum, primò acolythi, secūdò thuribularius cum uasculo incensi, tertiò subdiaconus cū thuribulo, ultimò diaconus librū super pectus suū deferens, reclinatū secundū modum supradictum. Peruenientes ad pulpitū, diaconus ponat librū super pulpitum, ibidē stās, acolythus unus à dextris, et alius à sinistris eius ante pulpitū ad euāgeliū uersi, subdiaconus post diaconū cū thuribulo, thuribularius post subdiaconū. Cum aūt dicit diaconus Sequentia. S. euangelij, uel Initium. S. euangelij, faciat unā crucem super euangelij principiū cum pollice, aliam super frontē, aliam super os, aliam super pectus. Tunc subdiaconus accedat ex parte dextra diaconi, et det ei thuribulū. Quo accepto, & euangelio incensato, reddat thuribulū subdiacono ex parte sinistra, qui tradat eū thuribulario ad tenendū de remotis. Ipse uerò uadat ante pulpitū in medio acolythorū stans ad euangelium, donec fuerit completum. Cum autem dicunt fratres Gloria tibi domine, debent se uertere ad altare, et signare se signo crucis. Dum autem euangelium legitur, stet sacerdos manibus iunctis in dextro cornu altaris, uersa facie ad euangelium, donec fuerit lectum; Similiter fratres uertere debent se ad euangelium, ubicūque legatur.

Finito euangelio diaconus tradat librum apertum subdiacono, et reuertantur ad altare ordine, quo iuerunt. In fine uerò euangelij sacerdos statim ueniens ad mediū altaris, dicat Credo in unū deū, si dicendum est, eleuatis manibus, et depositis, sicut dictum est ad Gloria in excelsis deo. Cūq; ministri ad altare peruenerint, subdiaconus offerat librum sacerdoti ad osculandū, diacono ei cum digito demōstrante, nisi pro Defunctis celebretur, uel Passio fuerit lecta; post eum diaconus osculetur; et post hoc subdiaconus ipsum librum reponat super altare, ubi prius erat: deinde ministri prosequantur inceptum cum sacerdote, ordine supradicto. Dicto uerò in choro Et homo factus est, uel dicto à sacerdote Dominus uobiscum, si Credo nō dicitur, subdiaconus uadat ad sacristiā præparatum calicem allaturus.

Finito aūt Credo in choro, si dicatur, sacerdos statim uertens se ad populū dicat Dominus uobiscū, et iterū uertens se ad altare, manibus ut prius eleuatis, et deinde iunctis, dicat Oremus, sed non prosequatur Offertoriū, donec diaconus peruenerit ad altare, qui cum eo prosequatur stans ad sinistrā. Intereà subdiaconus reuertens, præcedente eū acolytho, in dextra ampullā aquæ portante, calicē cum mundissima palla deferat usq; ad mediū altaris, ibiq; stet à sinistris diaconi, et acolythus cū ampulla à dextris sacerdotis. Deinde diaconus accipiēs patenā à subdiacono, offerat sacerdoti,

osculando manum eius, et sacerdos tenens eã ambabus manibus, aliquantulum eleuatis, dicat Suscipe sancte pater etc. et antequam finiat hanc orationẽ, deponat eam. Et posteà diaconus accipiat alicem à subdiacono, subdiaconus uerò ampullam ab acolytho, quã sacerdos à subdiacono acceptã cruce ✠ signet, et fusa una gutta, uel duabus, seu tribus ad plus aquæ in calicẽ, dicat orationẽ Deus qui humanæ substantiæ etc. deinde offerat cum diaconus super altare, dicendo Offerimus tibi etc. Et collocetur hostia ad sinistram, calix uerò ad dexteram: deinde diaconis cooperiat calicẽ palla, quæ superponitur calici, cum hac oratione In spiritu humilitatis, et animo etc. Postea sacerdos faciat signũ crucis super hostiam et calicem cum oratione Veni sanctificator etc. Ita quòd primò ducatur manus super hostiam, secundò super utrunque, et semper sic fiat, quando cõmuniter utrũq; signatur. Vbicunq; uerò calix paretur, hic tamen modus in eius oblatione semper seruetur.

Diligenter attendendum est, si altare est portatile, quòd calix et hostia iaceant super lapidem consecratum, patena uerò sub corporali ponatur, ad dexteram partem a sacerdote.

Interim autem thuribularius, uel acolythus, si thuribularius defuerit, parato thuribulo in dextera parte, tradat illud subdiacono; et subdiacono sumptũ ius de uasculo offerente in cocleari ad benedicendum, benedicat sacerdos ipsum dicendo Per intercessionẽ beati Michaelis etc. require in missali: deinde ponat ipsum diaconus in thuribulo, et assumpto eo tradat sacerdoti, manum eius osculando. Sacerdos adoleat calicem, et altare, ut in alia rubrica superius dictum est. Finita uerò thurificatione, reddat illud diacono sine aliqua thurificatione. Diaconus aũt accepta planeta manu sinistra, incenset sacerdotẽ manu dextra, Interim acolythus qui est in dextra, seruiat sacerdoti de aqua, deinde reddat illud subdiacono, Subdiaconus, incensato eo, reddat thuribulario si seruit, alio qui acolytho: Acolythus incensato subdiacono, thurificet chorum, ut superius dictum est, et talis thurificatio dominicis, et semiduplicibus, et diebus duplicibus obseruetur.

Et notandum, quod semper ante euangelium, cum aliquid cõmuniter dicitur, uel cantatur à sacerdote, diacono, et subdiacono, diaconus assistere debet sacerdoti à dextris, subdiaconus à sinistris: sic etiam in reliquis ante euangeliũ, cũ simul stant in altari, sed econuersò fit post euangelium.

Et dum abluit sacerdos digitos dicat Lauabo inter innocentes manus etc. Post ablutionem uerò, iunctis manibus ante pectus, ad medium altaris ueniens inclinet se, non ex transuerso, sed indirectum uersus medium altaris (quod in huiusmodi inclinationibus semper est obseruandum) dicendo orationem, Suscipe sancta Trinitas etc. Qua finita, erigens se osculetur altare, & uertens se ad populum dicat Orate fratres etc. et ita altè, ut possit audiri a ministris, Diaconus uerò casulã trahat ut supra, & circunstantes respondeant Suscipiat dominus sacrificium etc. Deinde regirans se ex parte dextra dicat secretam, uel secretas, stans contra medium altaris.

Cum digitis autem, quibus sacrum corpus tractaturus est, folia nõ uertat, nec aliquid tangat. Tempore quoq; muscarum, post inceptionem secretarum, et etiam ante, si necessitas id exposcat, debet diaconus tenere flabellum, quo cohibeat eas honestè, et abigat eas à sacrificio, et sacerdote.

Completis uerò secretis, eleuatis & extensis manibus, sicut superius dictum est, dicat Per omnia sæcula sæculorum; Finita uerò præfatione, dicat Sanctus cum ministris, uel ministro, mediocriter inclinatus super altare, & signet se signo crucis cum dicit Benedictus, qui uenit in nomine domini. Quod etiam faciendum est à fratribus in choro, cum dicunt Benedictus etc, & ab iis qui ministrant in altari.

Tunc, si Dominica fuerit, uel Festum duplex, uel Sabbatum, quando de beata uirgine celebratur, dicto Sanctus, diaconus inuoluat patenam tobalea mundissima, & tradat subdiacono accedenti ad se, tenendam. Cum uerò peruentum fuerit ad Pater noster, discooperiens eam subdiaconus, &

tenens

tenens eam usq; ad finem dominicæ orationis, accedens ad diaconum, reddat ei. Cæteris uerò diebus a subdiacono patena non teneatur.

Sacerdos uerò post Sanctus inclinatus coram altari iunctis manibus, dicat Te igitur, & erigens se osculetur altare, cum dicit Vti accepta habeas et benedicas, faciens tres cruces, ita quòd dicendo Hæc ✠ dona, faciat unam crucem cum duobus digitis, ita quòd index sit desuper, et medius subtus; sic dicendo hæc ✠ munera, & hæc ✠ sancta sacrificia illibata. Deinde eleuatis, et extensis manibus, sicut superius dictum est, prosequatur canonem usque Quam oblationem tu deus etc. Et tunc faciat tres cruces continuè super hostiam et calicem communiter, dicens Bene ✠ dictam, Ad ✠ scriptam, Ra ✠ tam. Et eleuatis iterum manibus dum dicit Rationabilem, acceptabilem, faciat iterum duas cruces dicendo Cor ✠ pus, et san ✠ guis, primã super hostiam, secundam super calicem. Cum uerò peruentum fuerit ad Qui pridie, ductis planè digitis, scilicet police, et indice super corporale, accipiat hostiam, tenens eam ambabus manibus, dicens Accepit panem: & parum eleuans signet eam manu dextra: deinde distinctè, et cum reuerentia proferat uerba consecrationis, dicens Bene ✠ dixit &c. et dicto HOC est enim corpus meum, at adorato corpore dominico mediocri inclinatione, eleuet illud reuerenter, ita quòd à circunstantibus possit uideri, illud non circũferendo, uel girando, nisi populus staret ex aduerso; nec diu teneat eleuatum, sed statim cum utraq; manu reponat.

Interim cum eleuatur corpus Christi, diaconus stet à dextris sacerdotis, & thuribularius cum thuribulo à dextris eius, et subdiaconus à sinistris, acolythis manentibus in locis suis cum cereis accensis. flexis genibus: et sic stent à tempore eleuationis usq; post calicis depositionem. Et dum eleuatur tam corpus, quàm sanguis, diaconus accepto thuribulo adoleat. In omni autem tempore sic chorus caueat à nimia protractione cantus, cum dicit Sanctus: & sacerdos sic morosè prosequatur dicenda ante eleuationem corporis christi, ut neq; ipse chorum expectet, neq; antequam chorus genuflectat, eleuet hostiam. Deinde discoopertum calicem per diaconum accipiat cum ambabus manibus, & parum eleuet dicens Accipiens & hunc præclarum calicem etc. & deponat iterum super altare, dicens Item tibi gratias agens; deinde signet eum dextra dicens Bene ✠ dixit. Et iteratò ambabus manibus tenens eum per medium, prolatis uerbis cõsecrationis, prius dicendo Accipite & bibite ex eo oẽs usq; dum dixerit remissionẽ peccatorũ, tantũ eleuet eum, ut frontẽ non excedat: et dum dixerit In mei memoriam facietis, reponat eum in loco suo.

Studeat aũt sacerdos quantũ potest, ut ad uerba consecrationis habeat intentionem actualem.

Completa consecratione, eleuet brachia ut prius, prosequendo Vnde et memores etc.

Ab hoc loco usq; ad ultimam purificationẽ manuum sacerdotis, iungẽdus est index cum police, præterquàm in signationibus, et cum tangit corpus christi. Ante uerò hunc locum, et post dictã purificationẽ, cum aleuat manus, et extendit, separatur polex à digitis cæteris, sibi inuicẽ copulatis.

Deinde procedat, et faciat tres cruces super corpus et sanguinem, dicendo Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctã, Hostiam ✠ immaculatam: et posteà duas cruces faciat, unã super corpus, dicendo Panem ✠ sanctum uitæ æternæ, et aliam super calicem dicendo Et calicem ✠ salutis perpetuæ.

Ad Supplices te rogamus inclinet manibus iunctis, donec dicat Ex hac altaris participatione: & tunc se erigens, osculetur altare iuxta hostiam; postmodùm faciat tres cruces, primam super corpus, dicendo Corpus, secundam super calicem, dicendo & Sanguinem sumpserimus, tertiam ante faciem suam, dicendo Omni benedictione ✠ cœlesti etc.

Ad Nobis quoque peccatoribus, cum tribus digitis ultimis leuiter tundat pectus, aliquantulum altè dicendo Nobis quoque peccatoribus: in fine uerò orationis Nobis quoq; peccatoribus,

dicitur Per christum dominum nostrum, sine responsione Amen, et sequitur sacerdos dicens, Per quem omnia, quia istud pendet de fine præcedentis; deinde faciat tres cruces super hostiam & calicem, dicens, Sancti✠ficas, Viui✠ficas, Bene✠dicis; et dicto præsta nobis, discooperiat calicē, et accipiens corpus domini, signet ter cum ipso super calicem, et a labio in labium, dicens, Per ✠ ipsum, et cū✠ipso, et in✠ipso. Eleuatis autē digitis cum corpore domini, signet bis inter se et calicem, à labio calicis incipiens, et dicēs quod sequitur, Est tibi deo patri etc. Qua finita, teneat corpus domini super calicem, et parum eleuato ambabus manibus, dicat Per omnia sæcula sæculorū: dicendo aūt Oremus, Præceptis salutaribus etc. reponat hostiam, et calicem in locis suis, et pallā calici superponat. Cum uerò uenerit ad Pater noster, eleuet manus, et extendat sicut prius usque ad Da propitius pacem, & cum chorus dixerit Sed libera nos à malo, sacerdos respondeat summisse Amen.

Tunc subdiaconus tradat patenam discoopertam diacono, qui recipiat eam nudam, Sacerdos uerò, quando dicturus est Da propitius pacem, ipsam accipiat a diacono osculante manū eius, et signet seipsum cum ipsa. Interim thuribularius cum altero acolythorū, uel ambo acolythi si affuerint, uel subdiaconus cum altero acolythorū reuerēter plicet mappulam patenæ, et acolythus reponat eam.

Cum autem sacerdos dixerit Omni perturbatione securi, mittat patenam super hostiam, et discooperto calice, acceptaq; hostia, dicendo Per eundē, faciat fractionem super calicem, frangendo hostiam per medium; et particulam quæ remanet in sinistra manu post fractionem, coniungat parti, quæ est in patena: alteram uerò quæ remanet in sinistra, erectus sacerdos teneat super calicem; & parum eleuato calice, dicat Per omnia sæcula sæculorum; et iterum deposito calice, tertiò signet super sanguinem cum particula, quam tenet in dextera; ad Pax✠domini intra calicē faciat unam crucem, secundam, ad sit✠semper, tertiam ad✠vobiscum. Quo facto, particulam corporis, quam tenet in dextra, mittat in sanguinem, dicendo Fiat cōmixtio etc. Deinde cooperto calice, ministri accedant, et dicant Agnus dei ter, cum eo parū inclinato, manibus dimissis super altare.

Posteà ipse sacerdos inclinatus ante altare, dicat Domine Iesu christe, qui dixisti etc. Qua finita erigat se, & osculetur altare (quod semper faciat, nisi cum pro defunctis celebratur) et dans pacem diacono, dicat Pax tecum, Diaconus verò respondeat Et cum spiritu tuo. Deinde diaconus det subdiacono accedenti ad se, et Subdiaconus det thuribulario, qui det acolythis.

Porrò in maioribus et minoribus duplicibus, pastquam acolythis pacem dederit thuribularius, statim accedens det cantoribus, et choro; In dominicis aūt diebus, et semiduplicibus, quando est unus acolythus, ipse accepta pace à subdiacono, det choro. In cæteris aūt diebus nunquam detur pax seruitori, et alys astantibus in missa conuentuali, nisi ministris de missa: In missis uerò priuatis, nisi consuetudo patriæ hoc requirat, pax seruitori, et alys astantibus non detur.

Sacerdos aūt, pace data diacono, inclinatus ante altare dicat Domine Iesu christe fili dei uiui etc. et Perceptio corporis christi etc. Quibus dictis, erigens se, et reuerenter accipiens patenam dicat Panem cœlestem accipiam etc. deinde dicat ter Domine non sum dignus. Quo dicto, lingua corpus domini sumat de patena; et discooperiens calicem, si quæ reliquiæ remanserint in patena, cum digito, uel police ponat eas in calicem; Depositaq; patena iuxta corporale ad dexteram, cum reuerētia accipiens calicem à diacono discoopertum, dicat Quid retribuam domino etc. Calicē salutaris etc. Laudans etc. Sanguis domini nostri Iesu christi etc. et tunc recipiat sanguinem.

Perceptione uerò facta, utraque manu tenens calicem, uadat ad dexterum cornu altaris, dicens Quod ore sūpsimus etc. et Corpus tuū domine etc. Ibiq; subdiaconus ampullā paratā habens, uinū infundat calici; Illoq; sūpto à sacerdote, infundat secundò super digitos sacerdotis; qui calice de

misso,

misso,declinet ad dextrũ cornu altaris ad abluendũ digitos infusos decenter super manus coniunctos ,subdiacono aquam ministrante in uasculo mũdo,ad hoc solum deputato;per quem ablutio deferatur in piscinam,si fuerit munda:alioqui in calicem recipiatur,cum ipsa ultima uini ablutione: deinde tergat digitos cum linteo,ad hoc specialiter præparato,qui semper mundus seruetur.

Item diaconus corporale,et pallam quæ superponitur calici replicet,& reponat,& missale deferat ad dextrum cornu altaris ; sacerdos uerò sumptã ablutione , inclinet calicem super patenam, & quando sibi uidebitur,recipiat quod remansit.

Et lecta postcommunione in dextro cornu cum ministris,ordine supradicto reuertatur ad medium altaris,et osculato altari,uertens se ad populum dicat Dominus uobiscũ;diaconusq; trahat casulã sicut prius: & reuersus ad librum,ibidem prosequatur omnes orationes.

Dum autem ultima oratio dicitur,acolythi cereos accendant;sacerdos autem dum dicit Per dominum,ad medium ueniat altaris;cumq; ad dicendum Dominus uobiscum se uerterit, diaconus similiter se uertat,et responso à fratribus et Cũ spiritu tuo, dicat Ite missa est,si est dicendum , alios qui uersa facie ad altare,ipso sacerdote similiter uerso, dicat Benedicamus domino , uel Requiescant in pace,si missa fuerit pro defunctis.

Sacerdos autem,et diaconus tandiu stent uersi ad populum,donec Ite missa est compleatur . Et benedicto populo,dicendo In unitate etc.uertat se ad altare,non se girando:& inclinatus secretè dicat Placeat tibi sancta Trinitas etc.et post hoc erigens se,osculetur altare,et dicat Ver. Dominus vobiscum.Resp.Et cum spiritu tuo.Ver.Initium sancti euangelij secundum Ioannem.Resp. Gloria tibi domine.Et dicat sacerdos euangelium sancti Ioannis,In principio erat uerbum etc.et Responso à ministris Deo gratias,et incepta à sacerdote antiphona Trium puerorum,sicut in missali cõtinetur,redeant in sacristiam,eo ordine, quo uenerunt. Tunc ministri prius sacerdotem,et posteà mutuò se adiuuent ad exuendum,uestes eas modo debito complicando. Acolythi uerò , antequàm uestes deponant, reuertantur ad altare,cooperientes illud,et aptent decenter,reportantes in sacristiam,quæ fuerint reportanda:nec de sacristia recedant ministri,donec ordinanda fuerint in loco debito collocata.

Qualiter , & à quibus Graduale, Alleluia, Tractus, & Sequentia cantari debeant in choro. Cap. XXII.

IN diebus ferialibus,quando contingit alleluia cantari,cantor incipiat alleluia usq; ad punctum,siue ad duas uirgulas simul iunctas, & conuentus statim prosequatur,posteà cantor uersum incipiat usq; ad pũctum:et tunc chorus finiat, et completo uersu,cantor reincipiat alleluia,ut prius,et cantetur totum.Cum autem his diebus tractus cantari debebit, cantor incipiens primum uersum, prosequatur ipsum totum cum suo choro: alius autem chorus prosequatur secundum uersum , & sic alternatim ab utroque choro compleatur . In festis uerò simplicibus, graduale cum uersu cantetur ab omnibus : sed alleluia à duobus usque ad punctum , choro prosequente,& complente. Et cantato uersu ab his duobus usque ad ultimum punctum,compleatur à choro,deinde iterum,ut prius , cantetur alleluia . In diebus uerò dominicis & semiduplicibus, & quando cantatur missa de beata uirgine in sabbato,uersus gradualis à duobus cantetur, & alleluia simili modo , et cantetur usque ad punctum, & conuentus reincipiat,et perficiat totum(quod in simplici festo non fiat) et post uersum, iterũ reincipiatur,et compleatur . Quando uerò tractus cantari debet in festis duplicibus, & semidu

plicibus, & diebus dominicis, & sabbato, quando de beata uirgine cantatur missa, à quatuor uel à pluribus, binis & binis cantentur uersus. Quando uero Sequẽtia debet cantari, cantato uersu de alleluia, et reincepto alleluia usque ad punctum, statim Sequentia inchoetur. Quando uerò duo cantantur alleluia, primum totum cantetur cum suo uersu, nec repetatur alleluia: et secũdum ante uersum repetatur, post uersum uerò non. Et ad uersum primi, uel secũdi alleluia sedeant fratres, sicut ad uersum gradualis, et tractus, exceptis illis, qui cantant. Inceptio uerò officiorum in missa, semper pertinet ad cantores, nisi specialiter alijs iniungatur. Quando autem cantor, uel cantores aliquid incipiunt, cantent usque ad punctum, et chorus residuum prosequatur. Similiter quã do duo, seu quatuor cantant uersum gradualis, uel uersum alleluia, uel ultimum uersum tractus, postquàm cantauerint usq; ad ultimum punctum, siue ad duas uirgulas simul iunctas, chorus residuum prosequatur.

De modo celebrationis, et hora obseruanda in ferialibus diebus, & festiuis in conuentualibus atque priuatis missis. Cap. XXIII.

EXceptis maioribus duplicibus, in quibus cum diacono et subdiacono debent duo acolythi, et thuribularius ministrare: In alijs diebus et festis, sufficiat cum dictis ministris acolythus unus; tamen in minoribus duplicibus, diebus dominicis, & semiduplicibus festis tantum, in incensando euangelium, et in tenendo patenam, et in dando pacem in choro, idem modus, sicut in maioribus duplicibus, per omnia obseruetur, si cómodè poterit obseruari. Et tunc in his diebus luminaria ad euangelium non portentur.

In quibus horis cantandæ sint missæ conuentuales. Cap. XXIIII.

IN diebus uerò dominicis, & festis missa conuentualis post tertiam cantetur, nisi ratione populi, uel alia causa subsistente, priori uidebitur aliter expedire: omnibus alijs diebus celebretur dicta prima. In quadragesima uerò, quando occurrerit festum, missa festi cantetur ante nonam, missa autem de die cantetur post primam. Sciendum quòd in solennibus ieiunijs missæ cantari poterunt usque ad nonam; cæteris diebus usque ad sextam, nisi quando pro defuncto fortè oporteret tardius celebrari. In missis uerò priuatis seruitor decenter induat sacerdotem, & alia circa altare ordinet, et disponat: prouideat etiam ne cum uestibus suis sacras uestes, uel alia sacra circa altare irreuerẽter tangat. Attendat etiam sacrista, quòd uinum sit purum, & non corruptum, nec maculatum, & aqua recens, & munda, de quibus debet confici sacramentum: caueat solicitè minister, ne unum pro alio administret. Custodiat quoque, ne tangat calicem manu nuda, si non est in maioribus ordinibus constitutus, sed sacerdoti exhibeat ministranda. Epistolam similiter sacerdoti dicendam dimittat, semper sit genuflexus, nisi cum euangelium dicitur, & cum aliquid ministrare contingit; oculos & mentem habeat circa altare, ut uideat quæ fuerint facienda, & audiat, cum sacerdoti fuerit respondendum. Cum autem transfertur liber à sacerdote, transferat similiter cum libro candelam, nisi ex utraque parte fuerit cereus, uel candela: trahere quoq; casulam, cum expedierit, non omittat. Sacerdos quoq; horas & officium maturè, & distinctè dicat, quando immediatè post primam celebrat. In multitudine quoque collectarum, & in eligendo hostias, in parando calicem, et similibus, astantes non fastidiat, Sequẽtiam non dicat, in uoce mediocritatem seruet, ne

ne, nimis altè clamando, chorum conturbet, uel alios celebrantes: uel, nimis submisse dicendo, nõ audiatur. Canonem sic in silẽtio dicat, quòd à circunstantibus non possit intelligi: cum fluxu narium uestes sacras non deturpet. Finita itaq; missa, cum alius post eum celebraturus erit, altare in dicendo alia officia non detineat, sed citò recedat, et uestes sacras, cum quibus celebrauerit, quàm citò deponat, ne sacerdos subsequens celebraturus expectare cogatur. Post missam solus dicat antiphonam Trium puerorum etc. prout in missali continetur. Hæc igitur, et alia dicta tam circa missam conuentualem, quàm circa priuatas missas, et sacerdos et seruitor diligentissimè exequantur. Ipsis uerò omnibus terminatis, altare cooperiatur, si alius tunc noluerit celebrare. Exutus itaq; sacerdos orare potest secretò, prout dominus ei inspirabit: caueat tamen à prolixitate, si ab alijs expectatur. In uia uerò, uel aliàs, quando fratres missas habere non ualent, dicere possunt afficium missæ uirginis gloriasæ, cum Sanctus & Agnus dei, et post communionẽ Gratiam tuam etc. et Gloria in excelsis deo, si dicendũ fuerit illa die.

Qualiter, et ubi corpus christi seruetur, et fratres debeant diebus debitis communicare. Cap. XXV.

Corpus Christi, per omnia loca nostra, super altare maius, in cyborijs cum pissidibus eburneis, uel aliàs de materia pretiosa, seris utiq; firmatis, in paruo numero, uel modica quãtitate, panno mundissimo inuolutum uolumus conseruari. Die uerò cõmunionis, exhortatio in capitulo, et absolutio generaliter, ut dignè fratres præparati accedant, fieri consueuit. Quò et ipse prior missam cõuentualem cantet, si possibilitas subministrat. Cum igitur subdiaconus sacrandas hostias debuerit præparare, à sacrista, cuius interest, scire debet, et requirere de numero hostiarũ sacratarum, quæ sunt in pisside, et de numero fratrũ, qui debent corpus Christi recipere, et facta collatione, necessarias tantũ debet præparare. Cum uerò cõmunicandi hora appropinquabit, si corpus Christi nõ fuerit super altaris cyborio, sed alibi collocatum, diaconus cũ ceraferarijs præcedentibus inde deferat pissidẽ cum corpore Christi ad altare, et oẽs fratres, præter sacerdotẽ celebrantem, qui solus inclinans adoret, flectant genua adorantes: post depositionẽ super altare, diaconus ante gradũ faciat illud idem. Cõpleta uerò missa, breui adoratiõe facta, super formas, uel anteriores sedes genuflexi cõicandi, dicant oẽs Cõfiteor deo etc. cũ conuentu. et facta absolutione, atq; deposita casula à sacerdote, qui debent communicare dicant in cõmuni tribus uicibus Domine non sum dignus etc. Et accedẽtes primò ministri cõmunicãdi ad summũ gradũ altaris, erectis corporibus, genua tantũ flectant: dũ uerò dicti ministri cõmunicant, fratres cõmunicandi existẽtes in choro, unus à dextris, et alius à sinistris, incipiẽdo à maioribus, pariter procedẽtes, primò flectant genua in inferiori gradu altaris, deinde, cõicatis ministris, ad summum gradum accedant, et sic successiuè per hunc modum singuli procedentes, suscipiant corpus Christi. Ibiq; duo cantores, uel alij, quibus sacrista innuerit, ex utraq; parte flexis genibus à dextris et à sinistris sacerdotis parati, inter sacerdotẽ et cõmunicandos tobaleam à sacrista paratã extensã sub mento cõicantium retinebunt. Sacerdos uerò tenẽs patenã sinistra manu cũ hostijs cõsecratis, dum quãlibet hostiã ministrabit, accipiat eam cũ manu dextra, et sic supertenẽs transeat usq; ad fratres cõicandos. Cauẽtes tam ipsi, quàm alij à trãsuersione oculorũ, uel insolita uultus dispositione; et decẽti reuerẽtia, sacerdote dicẽte Corpus domini nostri Iesu Christi custodiat animã tuã in uitam æternã, suscipiant sacramentũ; sacerdos uerò primò ministret hostias aliàs in pisside reseruatas. Suscepto uerò sacramento, fratres se erigant, et accedant ad uinum, unusquisque ex

Vniuersis Patribus et Fratribus Ordinis Eremitarum s. Augustini. Salutem.

NOLLEMVS quempiam admirari, quod hanc breuem rerum nostrarum descriptionem, à Sanctissimo patre nostro AVRELIO AVGVSTINO, ordinis fratrum Eremitarum fundatore, & institutore inceptam, non ea serie annorum, mensium, & dierum singula uel à principio notauerimus, qua a Fratre LANFRANCO, qui primus ordini nostro post perfectam unionẽ præfuit, notauimus & descripsimus. Plurimum.n. ante prædictum fratrem Lanfraneum gesta desiderantur, aut eorum simplicitate, qui integros Eremi labores diuinæ charitati potius, q̃ hominum existimationi consecrantes, parum aut nihil scribi de se passi sunt; aut eorum negligentia, qui tunc in humanis degentes nihil literis demãdarunt, uel demandata minus accuratè seruarunt, quod de libro Conuentus nostri Viterbiensis, qui acta fratrum supra octingentos annos ab instituto per sanctum patrem Augustinum ordine, usq; ad Innocentij tertij tempora lucidissimè exponebat, ui tempestatis apud Puteolos cum omni supellectili Magistri Mariani Genestanensis amisso, Reuerendissimo Domino Egidio Viterbiense testante accidisse comperimus; aut uarijs Italiæ depopulationibus, incendijs, calamitatibusq;, quæ infinitarum rerum memoriam ab omnibus nunc desideratam deleuerunt. Eam ob rem antiqua illa gesta in compendium hoc, seruato ordine prænotato, deducere non potuimus. Quoniã uerò fratris Lanfranci diebus, in quibus ordo noster. s. fratrum Eremitarũ S. Augustini ex Brittinensibus, Guillelmitis, fratribus beati Ioannis Boni, de Pœnitentia Iesu Christi, & de Faballis (hæc.n. diuersorum Eremitarũ, qui sub sancti Patris nostri Augustini regula uiuebant, nomina erant) non modicũ suscepit incrementum, indeq; in hanc quã nunc cernitis magnitudinem auctus est, gesta patrum et maiorũ nostrorum diligentius descripta inuenimus, ab illis cõmentarium ferè perpetuũ, quo uidebitis ordine, texere cœpimus; nõ ea tamen ratione, ut singula memoria digna Fratris ẽt Henrici de Vrimaria, qui prædictũ fratrẽ Lanfrancum cognouit, fratris quoq; Iordani de Saxonia, et magistri Ambrosii Corani scriptis innixi recensere, uel in suũ ordinem reducere nos posse existimaremus, sed potius ut cæteros ad scribendũ, & quæ nouerint superaddendũ excitaremus, et inuitaremus. Quò ẽt annos salutis Christianæ, sũmorũ Ponti. B. Augustini, et Priorũ ordinis nostri Generaliũ apposuimus, ut q̃sq; sciat quo anno, quo Pontifice et quo Priore generali singula, quæ in cõmentario continentur, facta fuerint, et ubi quæ inuenerit, ascribi possint, agnoscat. AEquo itaq; & grato animo suscipite hoc rerum nostrarum cõmentarium, & ubi quippiam deesse uideritis, uestra illud gratia & benignitate apponite: Loca.n. de industria derelicta sunt, ut multorum studio & diligentia quandoq; fiat, ut nihil in eo desiderari possit. Valete in Domino. Roma Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo nono.

Anni salu.	An. Pōt.		An. S.A.
381	13	*Augustino hoc anno filius, cui Adeodati nomen dedit, natus est.*] Sigisbertus.	24
382	14	*Augustinus inscia matre Monica ex Africa clàm discedens Romam uenit, ubi per annos ferè quinq; Rhetoricam publicè professus est.*] Sigisbertus.	25
383	15	*Beata Monica Augustini mater amore filij flagrans, eiusq; salutem sitiens (perditum enim eum uidebat, nisi deus ipsum respexisset) Romam uenit, et diu nočtuq; orationi insistens, eius conuersionem à domino efflagitabat.*] Possidonius.	26
187	1	SYRICIVS ROMANVS, PONT. XL.	30
		Augustinus Mediolanum ab Imperatore Valentiniano.ij. accitus Rhetoricam publicè docuit, quem statim mater sequuta est.	
388	2	*Deus optimus Maximus, ea charitate, qua ecclesiam suam uel ab initio amplexatus fuerat eidem consulẽs, ut lumen clarissimũ in maximis hæreseorũ tenebris inueniret, beatum Augustinũ pijs uotis ac lacrymis sanctissimæ matris Monicæ, quæ illum ut denuò gigneret Mediolanũ usq; sequuta fuerat adductus, hoc anno ecclesiæ suæ donauit, et quasi lucernã è tenebris eduxit; posuitq; super candelabrũ, ut luceret omnibus, qui in domo sua degebant. i. Ecclesia. Cum. n. annũ trigesimum confecisset, in solẽnitate sequentis paschæ, ab impio Manichæorũ errore, in quo per annos penè quatuordecim steterat ad pietatem, et uerã sanctissimamq; Iesu Christi fidẽ nõ sine magna omniũ admiratione, à deo per Beati Ambrosii tunc Mediolanẽsis Episcopi prædicationes, conuersus, tota spectante et plurimũ gratulante ciuitate, ipsis Ambrosio et Augustino Hymnum Te deum laudamus alternatim ex tempore psallentibus, ab eodem beato Ambrosio sacrum baptismatis munus cum filio Adeodato, & alijs ferè quadraginta duobus uiris suscepit.*] Beato Valerio, Sigisberto, & Possidonio testibus. *Beatus itaq; Augustinus post acceptã baptismi gratiã, illico nigra fratrũ Eremitarũ cuculla, quam à S. Simpliciano dono acceperat, a beato Ambrosio indutus est: quod idem S. Episcopus testatur in libro de baptismate Diui Augustini, dicẽs: Eũ in Christo genui, induiq; cuculla nigra, et ipse ad differentiã monacorũ se cinxit Zona pelliceca. Hæc ille. Quibus gestis beatissimus Augustinus ad Simplicianũ pergens extra Mediolanũ Ereminticam uitam ducentem, qui ei bonus apparebat seruus dei, de uiuendi genere cũ eo contulit, assumpsitq; sibi undecim fratres, de quibus ipse in quodam sermone mẽtionẽ facit dicens; Duodecim fuimus fratres, qui induimus cucullam nigram, calciamenta et Zonã pelliceam desuper cinctam ad differentiã monacorũ. Quorũ nomina hæc sunt,*	31

Augustinus primus, Nebridius, Euodius, Alippius, Pontianus, Adeodatus filius; Sim-
plicianus, Faustinus, Candolus, Valerianus, Iustus, & Paulinus.] Hæc Antoninus
Archiepiscopus Florentinus in chronicis suis.
Augustinus cum beato Simpliciano reliqua anni parte mansit, ubi cum suis fratri-
bus uiuens, eodem Simpliciano omnia uitæ necessaria suppeditante, eis regulam apostolicam, & rectam uitæ disciplinam exhibuit.] Sigisbertus.

389 3 Hoc anno beatus Pater Augustinus, matre Monica suadente, ex Italia discedere co- 32
gitans ut in Africam reuerteretur, Romam uenit, & per Hetruriam iter faciens,
nonnulla per eiusdem prouinciæ syluas, in Montepisano, & Centumcellis ere-
xit Monasteria; ipsosq; Eremitas uerbo & exemplo adduxit ut uiuerent se-
cundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam.] Diuus Antoninus in
chronicis suis.

Cum aūt uenisset Ostiam, inde in Africā traiecturus cum sanctissima eius matre Mo-
nica, quæ illum carne mundo, Christo uerò multis lachrymis genuerat, prædicta
Sanctissima Mater, sanctitatis speculum, & præfulgidum uirtutum exemplar, à Do-
mino Iesu Christo, qui in corporali specie illi apparuit, & amplexus est prius uisita-
ta, anno ætatis suæ sexto & quinquagesimo, Quarto nonas Maij, beato Augustino
eius filio, Patre uerò nostro & fratribus, ac discipulis astantibus obdormiuit in domi-
no, plurimisq; miraculis, quam acceperat à domino gratiam demonstrauit.] Sigisber-
tus, & Possidonius.

Sanctissima matre Monica ad feliciorem patriam perducta, beatus Pater Augu-
stinus, cum ei iusta persoluisset, in patriam ire pergens, relicto corpore sanctæ ma-
tris Ostiæ. (illud enim ipsa pia & sancta in sepulchrum uiri sui deferri, teste
filio, non curauit) in Africam nauigans cum suis fratribus Eremitis, plurimisq;
alijs uiris, qui illum ex omni Italia sequuti fuerant, ut cum eo pariter domino de-
seruirent, ad propria, patriamq; reuersus est; uenditoq; patrimonio, & pecunijs
pauperibus erogatis, Hipponem uenit, ubi apud eandem Vrbem à beato Sene Va-
lerio Episcopo, loco impetrato, monasterium Eremitarum extruxit, illicq; cum ami-
cis, fratribus, multisq; alijs probis uiris, undiq; ob Augustini famam eò confluen-
tibus (erant enim omnes ferè. cxxij.) Deo seruiens ieiunijs, orationibus, et alijs
bonis operibus uacans, scribebat libros, & docebat indoctos, stetit autem cum
ipsis ferè tribus annis, rectamq; uitæ normam, et secundum apostolicum institu-
tum, eisdem regulam tradidit. Quemadmodum ex eiusdem Patris Augustini,
& Sigisberti, atq; aliorum plurium sanctorum & doctorum scriptis luculenter
apparet.

Ex quibus profectò liquet, quod noster diui Augustini Eremitarum ordo, reliquos o-
mnes ordines (diui Basilij dūtaxat excepto) tempore præcesserit; et licet multi alij
religionū ordines, iuxta beati Patris nostri Augustini regulam, uitam ducant, soli ta-
men fratres ordinis Eremitarum S. Augustini uerè & propriè fratres: S. Augustini

nuncupandi

Anni salu.	An Pôt.		An. S.A.
		nuncupandi sunt,	
390	4	Hoc tempore in ciuitate Hipponensi, iuxta quam diuus Pater Augustinus Eremiticam uitam ducebat, Episcopatum gerebat Beatus Valerius Græcus, senex sanctissimus.	33
392	6	Beatus Valerius Hipponensis Episcopus, audita sancti Augustini fama, quæ longè lateq; per orbem difundebatur, hoc anno eum ad se accersitum, in festo Pentecostes, licet inuitum, & recusantem Presbyterum ordinauit. Hoc autem ipse sanctissimus Episcopus fecit, quia Græcus existens Latinæ nesciebat, eratq; insufficiens in respondendo Hæreticorum erroribus, quibus eo tempore Africa plena erat; Eam obrem Beatus Episcopus sancto Augustino autoritatem disputandi & prædicandi concessit. Cuius opera & studio adiuuante domino, Hæretici conuersi sunt, catholici in uera fide confirmati, hæreses extirpatæ, & optima quæq; peracta sunt. [Sigisbertus. Factus igitur Presbyter monasterium clericorum mox in ipsius Episcopi domo instituit, & cum eisdem cœpit uiuere iuxta regulam à sanctis Apostolis constitutã. [Possidonius, & Diuus Antoninus.	35
393	7	Beatus Valerius uidens quòd Augustini opera & studio, domino adiuuante, in Africa Ecclesia catholica, sese erigere cœpisset, quæ multo tempore hæreticis præualentibus fessa, & dessolata iacuerat, & iam per omnem Africam præclaram doctrinam, odoremq; suauissimus beati Augustini fusum esse, timere cœpit, ne ab aliqua ciuitate Episcopo orbata, Augustinus clam sibi subreptus ordinaretur Episcopus, quapropter cum Metropolitano Episcopo secretis literis, senectutem et imbecillitatem suam ostendens, egit, ut liceret eo uiuente, Augustinum sibi Episcopum subrogari, quæ omnia ipse impetrauit. Contigit autem ut eodem tempore Hippone essent Megalius Calamensis Episcopus, & Valerianus deuotissimus antistes, qui Hipponensem Ecclesiam uisitari aduenerant, quibus & omni populo sanctus senex uoluntatem suam manifestauit. Mox itaq; Augustinus ipse omnibus id uno ore & obnixè, petentibus, atq; magno desiderio effici clamantibus; & Episcopo Valerio efflagitante, coactus est, licet inuitus, suscipere Hipponensis Ecclesiæ gubernacula, atq; ab illis Venerandis Antistibus in Episcopum Hipponensem hoc anno consecratus est. [Possidonius. Episcopatu itaq; suscepto, factum est ut multo instantius, ac frequentius, maiore autoritate non in una tantum regione, sed ubicunq; rogatus uenisset, uerbum salutis æternæ alacriter, ac nouiter pullulante dei ecclesia prædicaret.	36

Anni salu. | An. Pōt. | An. S A.

Beata perpetua S. patris Augustini uterina soror, uidua sanctissima, ab ipso his temporibus sacro uirginum collegio præposita, (in quo erant et S. Basilica et Felicitas eiusdem, tantum ex patre, sorores, et sacro uelamine consecrotæ,] miraculis clarurt.

Hæ nanq; sanctissimæ sorores in sancto uirginū sodalitio, die noctuq; ieiunijs & orationibus, diuinisq; laudibus insistentes, & quomodo deo placere possent continuè cogitantes, diuina pietate in bona senectute deo spiritum reddidere.

398 12 Beato Ambrosio Mediolanense Episcopo hoc anno de ergastulo carnis egresso, Deuotissimus dei seruus Simplicianus, a quo diuus Pater Augustinus, ante eius conuersionem multa de christioua, ac religiosa uita salutaria documenta, post conuersionem uerò religionis habitum, cucullam uidelicet nigram, ac Zonam pelliceam dono acceperat, eidem omni Mediolanense populo approbante successit. Hic sanctissimus uir cum ab ipso diuo Patre Augustino apostolicam, approbatamq; uiuendi regulam accepisset, ad illam sese composuit, eamq; cum suis fratribus Eremitis ad mortē usq; deo militans obseruauit, atq; tādem ætate grauis, bonorum operum plenus, miraculisq; clarus ad cœlestia regna sibi parata migrauit.] ex Chronicis Mediolanensium. 41

400 14 Adeodatus beati Augustini filius, quem per baptisma Christo regenerauerat, optimæ spei adulescens, hoc anno migrauit ad Christum.] Ex Sigisberto. 43

401 1 ANASTASIVS PRIMVS ROMANVS. PONT. XLI. 44

404 1 INNOCENTIVS PRIMVS ALBANVS. PONT. XLII. 47

Hic Innocentius præfatam diui Patris nostri Augustini regulam, quæ incipit Ante omnia fratres charissimi etc. ordinaria autoritate confirmauit, uoluitq; ut ab Eremitis nostri ordinis fratribus, tam ab ijs quos in Italio, q̄ ab ijs quos in Africa diuus Augustinus congregauerat, seruaretur.] Ex chronica ordinis.

Idem Pontifex cum ex Alba iuxta Romam esset oriundus, odore optimæ famæ, quam, beatus Augustinus cum Mediolani, Romæ, & centumcellis, in agrisq; Thusciæ fuisset, reliquerat, adductus, non solum præfatam regulam confirmauit, uerum etiam fratribus illam seruantibus infrascripta concessit, licentiam uidelicet ædificandi sacella, oratoria, & domicilia in nemoribus, & syluis, & in alijs locis eis conuenientibus.] Ex chronica ordinis.

418 1 ZOZIMVS GRAECVS. PONT. XLIII. 61

Hic Pontifex nostro ordini Eremitarum Sancti Augustini, quæcunq; præcessor eius

Anni salu.	An. Pōt.		An. S.A.
		Innocentius primus concesserat, confirmauit.	
419	2	*Secundo huius pontificis anno cōcilio apud cartaginem habito ccxvij Episcoporum, synodalia decreta ad Pontificem Zozimum perlata sunt, quibus per totum orbem Hæresis Pelagiana, Augustino in ea exterminanda plurimum laborante, damnata est.* ⌈Prosper Aquitanicus.	62
422	1	BONIFACIVS PRIMVS ROMANVS PONT. XLIIII.	63
426	1	CELESTINVS PRIMVS. ROMANVS. PONT. XLV.	70
431	6	*Sexto huius pontificis anno gens Vandalorum, Gotthorū, Alanorumq; Genserico duce ab Hispanys in Africam omnia populabunda traiecit, deo ob Afrorum Sevitiam permittente.* ⌉ex Prospero.	73
434	9	*Hoc anno diuus Pater Augustinus, lux doctorum, firmamentum ecclesiæ, malleus hæreticorum, & Summū uas scientiæ, post multos pro ecclesia Christi labores susceptos, anno ætatis suæ sexto & septuagesimo, dum Hipponensis eius ciuitas à Vandalis Duce Genserico crudeliter obsideretur, tertio obsidionis mense, Quinto calendas Septembris coram Bonifacio comite amico suo, hanc temporalem cum ea quæ æterna est, miraculis clarus, uitam cōmutauit; cuius corpus in ecclesia Sancti Stephani, quæ cathedralis erat cum multis lachrymis à fratribus suis Eremitis conditum fuit, ubi honorificè iacuit annis. LXII.* ⌉Ex Prospero, Possidonio, & Beato Antonino.	76
435	1	XISTVS. III. ROMANVS. PONT. XLVI.	
		Hic Pontifex, eum audisset fratres nostri ordinis, sanctam esse gloriosissimi doctoris Augustini propaginem, & ob eorum sanctimoniam, et reuerentiam, qua beatissimū Patrem nostrum Augustinum prosequebatur, non solum omnia, quæ à suis præcessoribus Innocentio.S. & Zozimo concessa fuerant ordini nostro confirmauit, sed etiam auxit. ⌉Ex chronica ordinis.	
443	1	LEO PRIMVS ETHRVSCVS. PONT. XLVII.	
		Hic Pontifex, qui profecto & eloquentia & sanctimonia clarus fuit, fratribus no-	

Anni salu.	An Pōt.		An Gē.
		ſtris Eremitarum ſancti Auguſtini, non in Thuſcia tantum, ſed etiam ubiq; locorum degentibus, omnes gratias à suis præceſſoribus conceſſas confirmauit.	
		Confirmauit inſuper etiam titulum noſtri ordinis, uolens ut ab omnibus, ordo fratrum Eremitarum S. Auguſtini appellaretur.] Ex chronicis ordinis.	
		Ab hoc tempore uſq; ad Gelaſiū Afrū, nihil de ordine noſtro certè reperire potuimus.	
495	1	GELASIVS AFER. PONT. LI.	
497	3	Hoc anno. D. Fulgentius Rumpenſis Epiſcopus, & doctor præſtantiſſimus, à Torſimundo Vuandalorum Rege Arriano ob fidem catholicam in exilium actus, decreuit unà cum fratribus noſtri ordinis. ſ. Eremitarum ſancti Auguſtini, eiuſdem beatiſſimi Patris corpus aliò transferre, cū uiderent ob nimiam Vuandalorū feritatem, et mores corruptiſſimos eccleſias pollui, & corpus beati Auguſtini contemptui haberi; quapropter Quinto idus Octobris, intempeſtæ noctis ſilentio, corpus beatiſſimi Patris noſtri Auguſtini rapuerunt, et ſeſe deo cōmendantes, nauemq; cōſcēdētes in Sardiniam inſulam tranſtulerunt; Vbi corpus illud ſanctiſſimum magno cum gaudio & reuerentia à Sardis in præclara Caliarenſium ciuitate exceptum eſt, atq; deinde in Eccleſia noſtrorum fratrum Eremitarum opera & induſtria fabricata collocatum; ubi honorificè manſit annis Ducentis & Viginti ſeptem ſcilicet uſq; ad Liuiprandi Longobardorum Regis tempora] ex chronicis Bedæ, & aliorum. Hic pontifex ob ſanctæ recordationis memoriam Auguſtini Patris noſtri (quoniam comprouincialis eius extiterat,) ſingula suorum præceſſorum indulta noſtro ordini conceſſa confirmauit.] ex chronica ordinis.	
500	1	ANASTASIVS. II. ROMANVS. PONT. LII.	
		Ab hoc tempore uſq; ad annum Domini. 723. quo tempore fuit Gregorius 2. ſub quo iterum tranſlatū fuit corpus. B. Auguſtini, nihil de ordine noſtro certi reperimus.	
714	1	GREGORIVS. II ROMANVS. PONT. XCI.	
725	12	Duodecimo huius Pontificis anno, qui erat Liuiprandi Longobardorum regis tertius, ipſe Rex Liuiprandus, ob eius ſingularem ergà beatum Auguſtinū pietatem, hoc anno eius corpus à Sardinia inſula, Sarracenis omnia fœdantibus male habebatur, Papiam transferendum curauit; in cuius tranſlatione dominus multa miracula mirabiliter operatus eſt, reconditumq; eſt illud Sanctiſſimum corpus in excelſo templo, cui ſancti Petri in cœlo aureo nomen eſt, ubi uſq; in præſentem diē magna populi Papienſis ueneratione ſeruatur. Quomodo autem illud ſanctiſſimum corpus nobis traditum	

tum fuerit, uidebis infra anno Domini. 1327.] Ex chronicis Bedæ & Hermani Contracti.]

857 | 1 | BENEDICTVS. III. ROMANVS PONT. CVIII.

Hic Pōtifex confirmauit ordini nostro omnes gratias et immunitates per suos præcessores summos Pontifices concessas. Adiecitq; hoc, quod nostras ecclesias uisitantes cō sequerentur unius anni et unius quadragenæ indulgentiam.] Ex chronicis ordinis.

954 | 1 | IOANNES. XII. ROMANVS. PONT. CXXXV.

986 | Gregorius. V. saxo. Pont. cxlvi.

999 | Siluester. ij. Gallus. Pont. cxlviij.

1002 | Ioannes. xix. Romanus. Pontifex. cl.

1050 | Clemens. ij. Germanus. Pont. clvij.

1051 | Leo. ix. Germanus. Pontifex. clix.

1057 | Victor. y. Germanus. Pontifex. clx.

Omnes isti Pontifices singillatim ordini nostro unius anni, et quadraginta dierum indulgentiam concessere.] Ex chronicis ordinis.

1063 | ALEXANDER. II. MEDIOLANENSIS. PONT. CLIIII.

Hic Pontifex ob maximā, quā sanctū Patrē Augustinū prosequebatur, pietatem, cōfirmauit omnia et singula priuilegia, et indulgentias, exemptiones, et immunitates ordini nostro à suis præcessoribus concessas.] Ad hæc, concessit Ecclesiæ sancti Petri in cælo aureo de Papia, ubi corpus beati Augustini conditum fuerat, indulgentiam uiginti quatuor annorū, & totidem quadragenarū.] Hæc, et sequentia ex chronicis ordinis.

1074 | GREGORIVS. VII. SAVONENSIS. PONT, CLXV.

Hic Pontifex cōcessit ordini nostro unius anni, et quadraginta dierū indulgentiam.

1100 | 1 | PASCHALIS. II. FLAMINIVS. PONT. CLXVIII.

110 | 2 | Hic pontifex consimilem superiori ordini nostro indulgentiam largitus est.
Iste Pontifex ut tolleret dæmonum insidias, custodientium ossa Neronis, sub cuiusdā nucis arbore sepulta, qui oēs transeuntes per Portam Flaminiam opprimebant, solēni-

ter, & processionaliter construxit & consecrauit ecclesiã sanctæ Mariæ de Populo, sic, ut ipse primus abscindere arborem, terrã fodere, lapidemq́; in fundamenta iactare cœperit, subinde omnes prælati successiuè secundũ eorum dignitatem (Neronis ossibus in Tyberim proiectis) sequuti sunt ad fabricam ipsam faciendam; quã extructã, et ædificatã, statim consecrauit, omnesq́; mox dæmonum insidiæ cessarunt.

Et quoniam Romanus Populus meritis, et precibus beatæ uirginis, cui hæc ecclesia dedicata fuit, à prædictis dæmonum insidijs fuit liberatus, hæc ecclesia, & etiam porta ipsa ciuitatis dicta est sanctæ Mariæ de populo.

Hic summus Pontifex, eam ecclesiam his indulgentijs præmuniuit. V3. in eius consecratione, quæ est feria sexta, post Dominicam tertiam Quadragesimæ, & ab eo die usq; ad octauam Resurrectionis Domini inclusiuè, concessit indulgentiam mille annorum, & totidem quadragenarum.

Deinde iuxta numerum decem Cardinalium, qui dictæ consecrationi interfuerant, ob reuerentiam gloriosæ Virginis Mariæ, pro eorum quolibet concessit centum annos, et totidem quadragenas; Postmodum iuxta numerum. xxxij. Episcoporum, & aliorum Prælatorum, qui omnes interfuerunt dictæ consecrationi, annum unum, & quadraginta dies indulgentiarum posuit.

1118 GELASIVS. II. CAIETANVS. PONT. CLXIX.

1124 Calixtus. ij. Burgundus. Pontifex. clxx.

1125 Honorius. ij. Imolensis. Pontifex. clxxi.

Omnes isti pontifices singillatim ordini nostro unius anni & quadraginta dierum indulgentiam concessere,

1130 INNOCENTIVS. II. ROMANVS. PONT. CLXXII.

Tempore huius pontificis nullæ moniales erant approbatæ, nisi quæ erant sub regula S. Benedicti, Basilij, aut Augustini, ut patet. 18. q. 2. cap. Perniciosa consuetudinem.

1144 LVTIVS. II. BONONIENSIS. PONT. CLXXIIII.

1145 EVGENIVS. III. PISANVS. PONT. CLXXV.

Isti pontifices eandem nobis unius anni et quadraginta dierũ indulgentiã largiti sunt.

1140 Circa hæc tempora sanctus Guillelmus nostri ordinis Eremitarum S. Augustini summum decus, atq; eiusdẽ ordinis in Gallijs & Germania restitutor, qui prius in seculo Dux Aquitaniæ, Pictauensis comes, bellatorq́; accerrimus extiterat, magna & incredibili humilitate, ac charitate, alijsq́; uirtutibus undiq; ornatus, &. multis miraculis

lis clarus, mirificè floruit; religionemq; nostram penè prolabentem in Gallijs, & Germania restituit Lugduni enim & Parisiis primum, mox in Saxonia, Bauaria deinde et Boemia eam amplus monasterijs adauxit.

1154 1 HADRIANVS. IIII ANGLVS. PONT. CLXXVII.

Hic pontifex in primis confirmauit nostro ordini omnes indulgentias à suis præcessoribus concessas, auxitq; eas unius anni & quadraginta dierum indulgentia. Tertio Ecclesiæ S. Augustini de Vrbeueteri nostri ordinis, indulgentiam triū annorum, & totidem quadragenas largitus est.

1156 3 Hoc anno uirtutū omniū exemplar Sanctus Guillelmus feliciter migrauit ad dominū.

1159 1 ALEXANDER III. SENENSIS. PONT. CLXXVIII.

Iste pontifex ordini nostro unius anni & quadraginta dierū indulgentiam dedit.
Hoc tempore quidam nostri ordinis pater, cui nomen erat frater Guido, inter montes Cyminos locum Suriani obtinuit.
Hac etiam tempestate, Diuus Ioannes bonus Mantuanus nostri ordinis in Italia redēptor, ac pater, apud quoddam oratoriū, titulo sanctæ Mariæ propè cæsenam, in loco qui dicitur ad Eremum, disciplinis, ieiunijs, uigilijs, & orationibus, atq; alijs sanctis operibus non sine mirifico Christi odore uitam suam sanctissimè, et multis miraculis clarus trāsegit: cuius corpus Mātuæ in Ecclesia, quæ in memoria eius fabricata fuit, quiescit.
Hoc tēpore nostri ordinis Prior generalis fuit frater Ioānes de spelunca, ut ex libello Magistri fratris Henrici de Vrimaria, quē de antiquitate ordinis scripsit, didicimus.

1187 1 GREGORIVS. VIII. BENEVENTANVS. PONT. CLXXXI.

Hic pontifex confirmauit, quicquid per suos præcessores nostro ordini largitum est, annumq; unum, & quadraginta dies indulgentiarum adiecit.
Concessit quoq; fratribus nostri ordinis autoritatem audiendi confessiones, prædicādi, & cœmeteria construendi, ac eos sepeliendi, qui in nostris cœmeterijs, atq; ecclesiis elegissent sepulturam: Priuilegium autem hoc directum fuit Priori Sancti Iacobi de Aqua uiua, Pisanæ diœcesis.

1197 1 INNOCENTIVS. III. ANAGNINVS PONT. CLXXXIIII.

Hoc tempore sanctus Nicolaus de Tolentino nostri ordinis uirgo à Deo electus, pas-

nitentiæ, deuotionis, pietatisq; præfulgidum speculum, miraculorũ multitudine ac magnitudine mirificè coruscauit, atque continuò in dies ubilibet, et præsertim in tota Italia, hactenus non sine magna mortalium admiratione resplendet.

In libro sexto, Rubrica de religiosis domibus ubi fit mentio de generali concilio Lateranensi celebrato sub hoc Innocentio. iij. fit etiam mentio de religione nostri ordinis .f. Eremitarum Sancti Augustini, & clarè ibi dicitur, nostram religionem illud Generale concilium præcessisse: hæc enim sunt uerba. Cæterum Eremitarum sancti Augustini & Carmelitarum ordines, quorum institutio cõcilium generale præ cessit, in solido statu uolumus permanere. Hæc ibi.

Hic idem pontifex pluribus Bullis confirmauit ordini nostro Cænobium sancti Antonij apud lacum Ambrosianum, in territorio Senensi, quarum Bullarum unam Magister Ambrosius Coranus in quodam libello, quem de initys ordinis nostri ædidit, se uidisse asserit: similem quoq; idem pontifex de conuentu nostri ordinis Lucensi confirmationem fecit; qui quidem conuentus ante ipsum Innocentium de ordine nostro extiterant.

Idem pontifex ob singularem erga ordinem nostrum deuotionem, ipsum immediatè sub sedis apostolicæ protectione suscepit, præcipuam. v3. nostri ordinis partem, quæ sub obedientia & cura unius Generalis capitis militabat: Aliquæ tamen in uarijs orbis partibus congregationes, & loca Eremitarum .s. Augustini erãt, quæ tempore huius pontificis sub protectionẽ diœcesanorum & ordinariorum remanserunt.

Idem pontifex etiam cõcessit quòd professi nostri ordinis, sine sedis apostolicæ expressa licentia, ad alium ordinem transire non possent.

1200 *Circa hæc tempora nostri ordinis Priorem generalem fuisse fratrem Ioannem de Cella, Magister frater Henricus de Vrimaria in suo prædicto libro affirmat.*

1226 GREGORIVS. IX. ANAGNINVS PONT. CLXXXV.

Iste pontifex confirmauit omnes gratias per suos præcessores nostro ordini cõcessas. Item ecclesiæ .s. Mariæ de Populo septem annos, & totidem quadragenas indulgentiarum, peccatorũmq; septimæ partis remissionem, de iniuncta, ac salutari pænitentia in omnibus festiuitatibus beatæ Virginis, & per octauas earum exhibuit.

Hoc idem in festiuitatibus Natalis Domini, Circũcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes; & in die Consecrationis dictæ Ecclesiæ, & deinceps usq; ad octauam Resurrectionis, ob reuerentiam Beatæ Virginis Mariæ concessit.

Iste etiam pontifex extraxit de Sacello Lateranensis Ecclesiæ, quod uulgò Sancta sanctorum

ctorum appellant, tabulam pictam, cum imagine gloriosæ Virginis, & eius filij Domini nostri Iesu Christi, manu sancti Lucæ Euangelistæ depictam; quam processionaliter cum toto clero & Romano Populo ad Ecclesiam sanctæ Mariæ de Populo deportauit ubi usq; ad hodiernum diē uideri potest. Et ipse ac totus Clerus, Populusq; Romanus Deo ac Beatæ Virgini immensas gratias egerunt, cuius precibus à seuissima peste Romana urbs liberata fuerat.

Huius pontificis tempore nostri ordinis Prior generalis fuit frater Adiutus de Fano.

Huic. sub eodem pontifice frater Philippus de Parma successit.

Circa hæc tempora miro deuotionis, ac sanctitatis odore mirabiliter claruit beata Clara de Monte Falcone, nostri ordinis maximum a. admirabile ornamentum; in qua diuina benignitas mirificè resplenduit. Etenim post eius obitum in illius corde Christus Iesus crucifixus, quem maxima charitate uiuens dilexerat, omniaq; passionis eiusdem saluatoris insignia, quæ diæ noctuq; summa cum deuotione meditabatur, diuinitus et clarè sculpta uidentur; & ita, ut quisq; sibi perspicere uideatur Christum Iesum in carne crucifixum. In eius uerò felle tres lapides infrangibiles reperti sunt, eiusdem penitus magnitudinis, figuræ, & coloris, & adeò sibi inuicem similes, ut unus ab alio nullatenus discerni possit: Vnus enim tanti est ponderis, quanti sunt omnes tres simul, uel duo, & duo quanti est unus; quod sanè sanctissimæ ac indiuiduæ trinitatis mysterium nobis clarissimè demonstrat. Corpus quoq; eius integrum penitus & pulcherrimum extat, sanguis item eius in ampulla coactus recens ad hunc usq; diem apparet; Quæ omnia Nicolaus Papa. V. uidit & approbauit, orationemq; dedit, qua nos deo cōmendantes, ipsius memoriam faceremus, eiusq; precibus & meritis adiuuari à domino peteremus. Hæc etenim temporibus hisce nostris clarè perspici possunt, manibusq; attrectari. Hæc sanctissima Virgo dum in terris uitam ageret, magnis diuinisq; reuelationibus, ac multis miraculis; et post hanc etiam uitam à domino illustrata est. Cuius corpus in Monasterio nostro sanctæ Crucis de Monte Falcone honorificè humatum quiescit.

INNOCENTIVS. IIII. IANVEN. PONT. CLXXXVII.

1244 | 1 | Hic summus Pontifex religionem nostram benignis oculis respexit, multaq; ei beneficia, uel à principio sui pontificatus contulit. Concessit enim hoc anno Laterani

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.

degens, pridie calendas Aprilis, ut officium in ecclesiis, & oratoriys nostris, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ, celebraremus. Sexto uerò calendas May, ut omnibus demonstraret, quàm gratiosa esset apud se Augustiniana religio, eam ab omnibus locorum ordinariys, quo ad loca, bona, et personas exemit, inq; Beati Petri, & apostolicæ sedis tutelam nos suscepit, & quæ sequuntur concessit. Primum quidem, ut nihil aut collectarum, aut decimarum nomine cuiq; soluere teneremur; Alterum, ut omnes qui se nostræ religioni offerrent, recipi possent, professi uerò sine superiorum licentia non discederent: Tertium, ut oleum sanctum, et ecclesiastica sacramẽta gratis ab Episcopis acciperemus, eadem ab alienis Episcopis, cum propriy non adessent, perpetuò accepturi; Deinde ut cum interdictum esset uniuersale, possemus diuinas horas non pulsatis campanis persoluere, & missas more solito celebrare; Ad hæc, ut liberè quisq; posset apud nostras ecclesias sibi sepulchrum eligere; Deniq; ut Priore Generali uita functo, alius perpetuis temporibus eligeretur: Et omnibus gratiys ac immunitatibus ab alys pontificibus ordini nostro iam diu anteà concessis, etiã in posterũ (ipsas enim confirmauit) gauderemus. Hocq; pontificum diploma (quam uulgo bullam appellant) Mare magnum uocauit.

Idem pontifex, ad benignitatem suam, qua nos prosequebatur ostendendam, religionẽ nostram omnibus ecclesiæ prælatis, uerbis, quæ multum ponderis apud omnes habebant, cõmendauit. Laterani. Quinto idus May.

Vtq; nostra, quam ualde amabat, religio maius in dies susciperet incrementũ, concessit, ut etiam excõmunicatos, à censuris eos peracta satisfactione absoluentes, recipere mus. Laterani. Quintodecimo calendas Iuny.

1245 2

1246 3 Idem pontifex sua erga diuum Patrem nostrum Augustinum singulari deuotione, uolens eius Eremitarum ordinem ampliorem, illustrioremq; reddere, prædicti ordinis protectorem Reuerendissimum Dominum Guillelmum Diaconum Cardinalem sancti Eustachy, qui tunc Bononiæ Legatus erat, instituit, eiq; mandauit, ut omnes congregationes, & omnia loca fratrũ Eremitarum Sancti Augustini, cuiuscuis essent tituli, quæ sub dicti ordinis Generalis cura, obedientiaq; non erant, in unum corpus, atq; sub unum & idem caput Generale redigeret, aggregaretq;; quod præfatus Dominus Guillelmus facere uolens, multis orientibus bellis, & magna in pontificem nascente per Fridericum secundum Imperatorem persecutione impeditus fuit, Generalem tamen instituit Bononiæ capitulo nostri ordinis congregato, fratrem Lanfrancum Mediolanensem, ut apparebit inferius, scilicet anno Domini. 1252. Hanc tamen coniunctionẽ ab Innocẽtio diu tentatam Alexander. IIII. perfecit, Primo nostri ordinis post unionem Protectore instituto Reuerendissimo Domino Ricardo de Hannibaldensibus, ut inferius demonstrabitur.

1247

Anni Iubi.	An. Pōt.		An. Ge.
1247	4		
1248	5		
1249	6		
1250	7		
1251	8	Quantum foueret ordinem nostrum hic Pontifex, uel ex hoc liquet cum Lugduni, Duodecimo calendas Augusti nobiscum dispensauerit, ut suspensos, interdictos, & excōmunicatos possemus satisfactione præuia, si tenerentur, ad ordinem recipere, & à censuris prædictis eos absoluere. Idem quoq; ex hoc uno clarum est, cum pridie idus Augusti Lugduni, nostris fratribus eam præbuerit gratiam, ut si fortè mutuò se percussissent, à suis superioribus absoluti, in sacris, quemadmodum & anteà, ministrarent.	
1252	9	Tantum ordo noster huic Clementissimo Pontifici, ad ipsum conseruandū, curæ fuit, ut Patrem fratrem Lanfrancum Mediolanensem, qui hoc tempore conuentui Bononiensi præerat, ob cognitam ipsius prudentiam, & rerum peritiam, motu proprio generalem Priorem instituerit. Perusii. Decimo septimo calendas May. Animaduertendum hunc Priorem generalem hoc tempore uniuerso Eremitarum ordini non præfuisse, nondum.n. Eremitæ in unum coierant.	
12ʃ3	10	Idem Pontifex declarauit modum professionis, quo nos utimur, et ordinis nostri inscriptionem aut nomenclaturam expressit, ut scilicet diceretur ordo fratrū Eremitarum S. Augustini. Verùm hanc particulā superaddidit, quam posteà Clemens. V. reuocauit, scilicet quòd Prior generalis electus à sede apostolica confirmationem obtineret. Perusy. Decimoseptimo calendas Maij. Potestatē deinde monasteria, et Ecclesias ædificādi in ciuitatibus nobis fecit, ibiq; celebrandi, et suscipiendi sacramenta facultatē exhibuit. Perusy. Tertio nonas Augusti.	
1254	11	Paternè rebus nostris consulēs prædictus Pontifex decreuit, ut nemo in nostro ordine professus, ab ipso uirtute literarū apostolicarū discederet, neq; discedentem quispiam secū degere ulla rōne permitteret; cuius rei causā cōcessit, ut Priores sententiā excōicationis in discedentes, atq; eos suscipiētes, ferre possent. Laterani. Quinto calē. May.	

Anni salu.	An. Pot.		An. Ge.

Ad huius priuilegij firmitatem & robur addidit, ut apostatas ab ordine deficientes, aut rebelles capere, ligare, & in carceres conijcere (si uideretur) possemus. Laterani. Quinto calendas Maij.

PONTIFICIA SEDES VACAVIT ANNIS DVOBVS.

1255 1

1256 2

ALEXANDER. IIII. CAMPANVS PONT. CLXXXVIII.

1257 1 *Ita huius Pontificis memoria apud omnes Beati Augustini filios firma esse debet, ut nullo unq; tempore deleri possit, cuius beneficio hæc Eremitarum sancti Augustini religio conseruata est, maximumq; suscepit incrementum.*

Hanc enim religionem seruare & augere cupiens, uniuersis ecclesiæ prælatis mandauit, ut fugitiuos nostri ordinis monerent, & quantum possent, adducerent, ut ad ipsum ordinem, Domino sub sancti patris Augustini regula & habitu seruituri, reuerterentur; quòd si renuerent, censuris ecclesiasticis, omni appellatione postposita, cum eis agerent. Neapoli, calendis Martij.

Addidit benignus Pontifex adhuc Neapoli degens, calendis Aprilis, hoc beneficiũ, ne scilicet ad solutionem collectarum, si quæ fierent, teneremur.

Quis huius pontificis gratias ualeat enumerare? confirmauit priuilegia, gratias, & immunitates, quas præcessor suus felicis recordationis Innocentius.iiij. ac cæteri antiquiores Pontifices, Reges, ac Principes concesserant, et quæ sequuntur addidit. Primùm quidem quòd res temporales concessione pontificum, uel liberalitate principum, aut donatione, uel oblatione fidelium, siue alijs iustis rationibus acquisitas habere, et possidere, atq; eas quæ nostræ fuerunt, ab alijs etiam iãdiu possessas redimere possemus. Deinde ne à monialibus nostris exigerentur decimæ, aut aliæ fierent exactiones; Neq; in domibus nostris ponerentur exactiones iudicij sæcularis, neq; prælatorum ecclesiæ: Quòd ad synodos, & conuentus publicos accedere non cogeremur, neque domus nostræ per publicas congregationes grauarentur: Quòd electionem Priorum nostrorum impedire, uel electorum destitutionem nemo procurare posset, uel auderet: Neq; nos professionem, quæ statutis nostri ordinis aduersetur, Episcopis facere teneremur: Quòd deniq; in locis nostris ignis non apponeretur, nec furtum fieret, neq; inde, si quispiam fugisset, etiam si sanguis effusus esset, extraheretur. Neapoli. Quarto idus Aprilis.

Auxit hic pontifex cumulum gratiarum, cum suspensos, interdictos, & excommunicatos ad ordinem uenientes, atq; suo tempore professos, absolui posse concessit,

atq;

atq; super irregularitate dispensationem à Patre Generali, ac cæteris obtinere. Anagniæ, pridiæ Idus Iuly.

Atq; die sequenti omnes ordinis constitutiones confirmauit.

Vt autem diligentius, & accuratius fratres Patri generali obtemperarent, neq; ueluti indomiti iugum obedientiæ in terram proycerent, omnibus prælatis præcepit, ut sententias excommunicationis à Patre generali contra fratres obedientiæ contemptores latas, quoties requisiti fuissent, publicarent, atq; eas, ad satisfactionem usq;, inuiolabiliter obseruari facerent. Anagniæ. Sexto decimo calendas Augusti.

Concessit quoque, ut Prior generalis mox à canonica electione ministraret, nihil tamen de bonis ecclesiasticis alienaret, donec confirmationem à sede apostolica obtinuisset. Anagniæ. Sextodecimo calendas Augusti.

Hoc denique primo sui pontificatus anno, tanto nos amore complexus est, ut nos immediatè sub sedis apostolicæ curam, & protectionem posuerit. Anagniæ. Tertio calendas Augusti.

1258 | 2 | *Secundus annus prædicti pontificis ordini nostro felix, faustusq; fuit; cum in eo ipso, præter cætera beneficia, hoc unum acceperit, quòd mirum scilicet in modum incrementum susceperit. Alexander enim Pontifex pio ac paterno affectu ordinem nostrum fratrum Eremitarum sancti Augustini prosequutus, ut corpus magno suo capiti conueniret, Eremitas sancti Guillelmi, Fratris Ioannis boni, de Brittinis, de Faballis, & de pœnitentia* IESV CHRISTI *præfato ordini coniunxit, ut sub regula, habitu, & obseruantijs eisdem, atq; sub unius Prioris generalis obedientia simul uiuerent, ac domino deseruirent.* | 1

Hac ipsa tot Eremitarum coniunctione, quam nostri unionem uocant, peracta, Pontifex Priorem generalem totius ordinis nostri primum instituit Fratrem Lanfrancum Mediolanensem ac præcepit, ut ei uni, tanq; patri & rectori omnes, & singuli fratres prædictorum ordinum obtemperarent; uolens ut prædictus prior Generalis sententiam excommunicationis, in eos qui hanc coniunctionem tentassent dissoluere, ferre posset, ipsáq; lata, omni appellatione remota, rata esset.

Cumq; patres nostri paupertatem ita profiterentur, ut ex eleemosynis uiuere uellent, concessit, ne ad seruandam domorum, ac iugerum sibi donatorum proprietatem, cogi possent. Laterani. Quinto idus Aprilis.

FRATER IGITVR LANFRANCVS MEDIOLANENSIS *prouinciæ Lombardiæ fuit primus nostri ordinis Prior generalis, Bononiæ autoritate pontificia creatus, qui ordinem rexit annis septem.*

Noluit benignus pontifex, ut decimas eorum agrorum causa, quos proprijs manibus coleremus, soluere cuipiam teneremur. Laterani. Pridie idus Aprilis.

Concessit quoq; ut in locis interdictis (nisi causam interdicto dedissemus) voce demissa, exclusis excōmunicatis, ianuis clausis, & sine campanarum sono & horas di-

Anni salu.	An. Põt.		An. Ge.
		cere possemus, & sacra facere. Laterani, Quinto Nonas Maij.	
1259	3	Omnes gratias, & indulgentias singulis Eremitarum generibus, eorumq; domibus, priusq; ordini nostro iungerentur concessas, uniuerso ordini cõmunicauit. Laterani. Duodecimo calendas Maij. Veniam quoq; nobis dedit, ut in locis, atq; oratorijs nostris, super altare portatile cele brаremus. Laterani. Quarto calendas Maij. Et hoc maximo munere nos donauit, ut scilicet ad prouisionem aliquam exhibendam non teneremur, neq; compelli ad id per literas apostolicas impetratas, uel impetrandas (nisi plena de ordine nostro & expressa mentio fieret) possemus, adeo, ut si huius rei gratia fratres nostri excõmunicarentur, aut interdicerentur, id totum irritum esset, & inane. Viterbij, Pridie calendas Iulij.	2
1260	4		3
1261	5	Pontifex idem concessit, quòd de usuris, & rapinis, & alijs malè acquisitis, si ij, quibus ipsorum restitutio fieri debet, omnino inueniri, et sciri non possent; ac etiam de redemptione uotorum (Hierosolymitanis duntaxat exceptis) usq; ad summam centum marcarum argenti recipere ualeremus. Anagniæ. Pridie nonas Martij. Nobis quoq; facultatem dedit, ut petere, accipere, ac possidere quæcunq; bona mobilia, uel immobilia possemus, non secus ac si in sæculo degentes petere, accipere, atq; possidere potuissemus, non obstante contraria consuetudine, uel statuto loci; ut in Guillelmitarum priuilegio, quo ratione unionis gaudemus, apparet. Anagniæ. Pridie nonas Martij. Idem etiam pontifex fratribus prædicatoribus mandauit, ne professos nostros in suũ ordinem, nisi priorum nostrorum petita licentia, & obtenta, reciperent, sub pœna excommunicationis, à qua, excepto mortis articulo, nõ possent absolui, nisi conspectui sedis apostolicæ sese offerrent. Anagniæ. Tertio idus Iunij.	4
1262	6		5

VRBANVS. IIII. TRECENSIS. PON. CLXXXIX.

1263	1	Ad conseruationem ordinis nostri conuertens hic pontifex oculos, atque animum, concessit, ut apostatas nostros, nisi salutiferis monitis obtemperarent, & capere et excõmunicare, si uideretur expedire, possemus. Viterbij. Quartodecimo calendas Maij.	6

Priuilegium

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		Priuilegium quoq; de suspensis, interdictis, & excōmunicatis ad ordinem recipiēdis, & absoluendis, per Dominos summos Pontifices Innocentium. iiij. & Alexandrū, iiij. exhibitum confirmauit. Viterbij idibus Iunij. Idem pontifex approbauit, & confirmauit unionem factam per Dominum Alexandrum papam. iiij. & fratres à uotis ante huiusmodi unionem in alijs ordinibus emissis absoluit. Viterbij. Quinto idus Decembris.	
1264	2		7
1265	3	FRATER GVIDVS de Stagio prouinciæ Senensis, post mortem fratris Lanfranci, secundus rexit ordinem annis quatuor.	1
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT MENSIBVS. IIII.	
		CLEMENS. IIII. NARBONENSIS. PONT. CXC.	
1266	1	Hic pontifex concessit ordini nostro, ut de ijs quæ in ornamentis, seu pro eisdem, uel Fabrica, Luminaribus, Anniuersario, Septimo, Trigesimo, siue alijs ad perpetuum cultum diuinum, nobis, aut ecclesiis nostris legarētur, nulli portionem canonicam præbere teneremur. Perusij. Decimo calendas Iulij.	2
1267	2	Pontifex idem concessit, ne per aliquas literas apostolicas sub aliquo negocio conueniri possemus, nisi de nostro ordine specialem facerent mentionem. Viterbij. Tertio idus Iulij.	3
1268	3		4
1269	4	BEATVS FRATER CLEMENS de Auximo prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, Tertius ordinis prior Generalis, fratri Guido substitutus fuit Duodecima die Maij; ordinem autem hic Sanctissimus uir rexit annis quinque. Idem pontifex quod de apostatis capiendis, & excōmunicandis superius dictum est confirmauit. Viterbij. Decimo calendas Iunij. Item quòd uiatico altari, iuxta Alexandri. iiij. diploma uti possemus. Viterbij. Idibus Iulij.	1
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT ANNIS DVOBVS.	

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1270	1	*Clemente pontifice Viterbij defuncto, propter discordiam cardinalium, qui in eligendo successore non conueniebant.*	2
1271	2		3
		GREGORIVS. X. PLACENTINVS. PONT. CXCI.	
1272	1		4
1273	2	*Ricardus de Hannibaldensibus nobilis Romanus.S.R.E, Tituli sancti Angeli diaconus cardinalis, Primus nostri ordinis protector.*	5
1274	3	*Primò capitulum Generale nostri ordinis, in Castro Molariæ, Prouinciæ Romanæ, die decimaoctaua Octobris, præsente Reuerendissimo protectore, celebratum est: In quo beato fratre Clemente de Auximo magistratu se abdicante, Lector* FR ASTER FRANCISCVS *de Regio, prouinciæ Romandiolæ, Quartus ordinis nostri Prior generalis declaratus est, ac præfuit annis decem.*	1
1275	4	*Hoc anno iterum, præsente eodem protectore, Synodus generalis, in eodem loco, & eadem die, ad reuisendas, & confirmandas constitutiones, congregata est.*	2
		INNOCENTIVS. V. BVRGVNDVS. PON. CXCII.	
		HADRIANVS. V. IANVENSIS. PONT. CXCIII.	
1276	1	*III. comitia nostra Generalia habita sunt Tuderti, in prouincia Vmbriæ, Octaua die Septembris, eadem causa, quæ supra posita est.*	3
		IOANNES. XXI. HISPANVS. PONT. CXCIIII.	
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT MENSIBVS OCTO.	
1277	1	*IIII. conuentus noster Generalis congregatus est Viterbij, in prouincia Romana, Die uigesima nona Septembris, in quo prior Generalis frater Franciscus confirmatus est in sequens triennium.* NICOLAVS.	4

Anni ſalu.	An. Pôt.		An. Ge.
		NICOLAVS. III. ROMANVS. PONT. CXCV.	
1278	1	*V. capitulũ Generale coactũ eſt Arimini,in prouincia Romandiolæ,die Quinta Maij.*	5
1279	2	*VI. celebrata eſt synodus Generalis Peruſij, prouinciæ tunc temporis Romanæ nunc uerò Vmbriæ, die Vigeſima prima Iunij.*	6
1280	3		7
1281	4	*VII. comitia noſtra Generalia peracta ſunt Patauij,in prouincia Marchiæ Taruiſinæ,die Quintadecima Auguſti;in quibus priori Generali Fratri Franciſco in aliud triennium cura ordinis prorogata eſt.Et. F. Egidius Romanus, qui eo tempore erat Baccalarius Pariſienſis,fuit definitor prouinciæ Romanæ. In his comitijs ſancitum fuit, ut capitulum Generale ſingulo triennio congregaretur.*	8
		SEDES PONTIFICIA VACAVIT MENSIBVS.V.	
		MARTINVS. IIII. GALLVS. PONTI. CXCVI.	
1282	1		9
1283	2		10
1284	3	*VIII. conuentus noſter Generalis celebratus eſt Vrbe veteri,in prouincia Romana, die Vigeſima octaua Maij, curia Romana ibidem exiſtente;in quo Generali priore Fratre Franciſco Regienſi uita functo,omnium ſuffragijs Beatus frater* C L E M E N S *de Auximo iterum electus fuit, qui ordinem gubernauit annis ſeptem.*	1
1285	4		2
		HONORIVS. IIII. ROMANVS. PON. CXCVII.	
1286	1	*Hic pontifex conceſſit, ut fratres tempore Generalis interdicti, poſſent in uigilia, et die Beati Auguſtini, apertis ianuis, excluſis excõmunicatis, diuina officia unà cum alijs religioſis, & clericis sæcularibus aduenientibus celebrare. Romæ, apud ſanctam Sabinam.Calendis Iunij. Hic ipſe Honorius dedit nobis eccleſiam ſancti Triphonis de Vrbe, & confirmauit Ordini locum Pariſienſem.*	3

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		SEDES PONTIFICIA VACAVIT MENSIBVS.X.	
1287	1	IX. congregatum est capitulum generale Florentiæ in prouincia Pisana, die Vigesimaquinta May, in quo Beatus Frater Clement de Auximo pro alio triennio confirmatus est. In hoc capitulo decretum fuit, ut omnes fratres nostri ordinis scripta Egidij Romadij reciperent, atq; ipsius doctrinam sequerentur.	4
		NICOLAVS. IIII. ASCVLANVS. PONT. CXCVIII.	
1288	1	Hic Pontifex Nicolaus concessit omnibus uerè pœnitentibus, quoties nostris Generalibus capitulis manum porrigerent adiutricem, locaq; nostra, præsertim prædicationis tempore, uisitarent ibidem in die prima ipsius capituli, & septem diebus immediatè sequentibus annum unum, & quadraginta dies, de iniunctis pœnitentijs relaxauit. Romæ apud sanctam Mariam Maiorem. Octauo idus Februarij. Visitantibus quoque ecclesias nostri ordinis, in festo Assumptionis Beatæ Virginis, & Beati Augustini, & in diebus Dedicationis ecclesiarum nostrarum usq; ad octo dies sequentes, pro qualibet uice centum dies de iniunctis pœnitentijs remisit. Romæ apud sanctam Mariam maiorem. Octauo idus Februarij.	5
1289	2	Idem Pontifex etiam confirmauit, ut possemus ferre sententiam excōmunicationis, punire rebelles ordinis, capere, & cum expedire uideretur, incarcerare. Reate. Decimo calendas Septembris.	6
1290	3	X. coacta est synodus Generalis Ratisponæ, in prouincia Bauariæ, die Vigesimaprima May, in qua, & eidem Generali officium continuatum est, & constitutiones ordinis publicatæ sunt. Frater Nicolaus de Tinis Senensis inter siluas Ilicetanas sanctissimè uixit.	7
1291	4	Beatus frater Clemens de Auximo, uir multis miraculis, & summa pietate clarus, nostriq; ordinis Prior generalis, hoc anno in senectute bona animam seruatori suo reddidit Vrbe ueteri, Octaua die Aprilis; cui statim Vicarius, et generalis administrator suffectus fuit FRATER PAVLVS Perusinus, tunc temporis Romanæ Prouinciæ prouincialis, qui ordinem gubernauit mensibus decem.	
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT ANNIS II. MEN. IIII.	
1292	1	XI. comitia generalia celebrata sunt Romæ, in conuentu sanctæ Mariæ de populo, die	1

Anni salu.	An. Pôt.	XXXVI	An. Ge.
		die sexta Ianuarij: in quibus, omnium uotis Quintus ordinis nostri Prior generalis declaratus est MAGISTER FRATER EGIDIVS *columnius, ciuis Romanus, qui præfuit annis tribus.*	
1293	2		2
		CELESTINVS. V. ESERNIENSIS. PONT. CXIX.	
1294	1	*Hic Pontifex concessit, ut loca nostra sub sede tâtum apostolica essent. Neapoli. Quinto calendas Decembris.* *Facultatem etiam prædicandi, & audiendi confessiones ordini nostro exhibuit. Neapoli. Quinto calendas Decembris.* *Deniq; confirmauit nobis omnia nostra priuilegia, quæ à superioribus Summis pontificibus concessa fuerant. Neapoli. Nonis Decembris.*	3
2		BONIFACIVS. VIII. ANAGNINVS. PONT. CC.	
1295	1	*Bonifacius Pontifex concessit ordini nostro; quod nemini liceat ædificare apud nos Ecclesias, monasteria, seu oratoria, infra spatium centum quadraginta cannarum, per aerem mensurandarum. Laterani. Vndecimo calendas Martij.* *Magister frater Egidius Prior generalis à Summo pontificæ Archiepiscopus Bituricensis, & Primas Aquitaniæ creatus est; qui omnium disciplinarum peritissimus, uti eius, quæ ubiq; lectitantur, scripta indicant, ab eodem pontifice posteà Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis designatus, anteq̃ publicaretur, Deo hominibusq; gratus, naturæ concessit.* *XII. peractus est conuentus noster generalis Senis in prouincia Senensi, ubi, omnibus optantibus, die Vigesima secunda May, Magistro fratri Egidio Sextus nostri ordinis Prior generalis subrogatus est* FRATER SIMON PISTORIENSIS *Prouinciæ Pisanæ, qui stetit annis tribus.* *In hoc capitulo definitum fuit, ut forma Ordinarij omnino seruaretur, tam in tono passionum, q̃ lectionum, benedicamus, kyrie, etcætera, quæ in eo continentur,*	1
1296	1	*Magister frater Angelus de Camerino, celebris sacræ Theologiæ professor, ijs temporibus floruit.*	2
1297	3		3

Anni salu.	An. Pōt		An. Ge.
1298	4	*Pontifex idem concessit, quòd personæ ordinis, & ecclesiæ, oratoria, domus, et omnia spectantia ad ordinem, ac personæ degentes nobiscum, soli Romano pontifici, tam in spiritualibus, q̃ in temporalibus absq; ullo medio subiectæ essent, sic ut à cuiuscũq; diœcesani, & cuiuslibet alterius potestatis iurisdictione, & dominio omnino, & in perpetuum essemus (de gratia tamen speciali) exempti. Laterani. Duodecimo calendas February.* *Idem quoq; pontifex definitoribus, & discretis capituli generalis cõcessit, ut possent absoluere Generalem ab officio suo, & ipse Generalis requisitus resignare officij sigillum teneretur. Romæ, apud sanctum Petrum, Sexto idus Aprilis.* *Idem etiam pontifex confirmauit Ordinem nostrum, & Carmelitarum post conciliũ Lugdunense. Romæ, apud sanctum Petrum. Tertio nonas Maij.* *XIII. peractum est capitulum generale Mediolani, in prouincia Lombardiæ, die Vigesima quinta May, ubi Priore generali Magistro fratre Simone officium renunciante,* BEATVS FRATER AVGVSTINVS NOVELLVS DE TERANO *prouinciæ Vmbriæ, Septimus ordinis nostri Prior generalis dictus est, qui præfuit annis duobus. Hic bonas, & utiles constitutiones ædidit.*	1
1299	5		2
1300	6	*XIIII. coactus est conuentus noster Generalis Neapoli, in prouincia Terræ laboris, die prima May, in quo Beatus frater Augustinus Nouellus de Terano, inuitis omnibus, et enixè recusantibus, officium generalatus deposuit, & ad Eremum sancti Leonardi reuersus est.* *Tuncq; consensu omnium patrum, octauus nostri ordinis Generalis prior electus est lector.* FRATER FRANCISCVS DE MONTE RVBIANO, *prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, qui ordinem gubernauit annis octo.* *Huic capitulo Carolus. xij. Neapolitanus Rex, & uxor sua interfuerunt, & mirè fratres nostros fouerunt.* *Lector frater Iacobus de Camerino ordinis nostri procurator in Romana curia institutus est.* *Post quem fuit Lector frater Robertus de Monte Rubiano.* *In hoc capitulo statutum fuit, ut festum. S. Lodouici confessoris Regis Francorum celebraretur die Quintadecima Mensis Augusti, & ad perpetuam memoriam in calendario ordinis scriberetur.*	1
1301	7	*Magister frater Iacobus Viterbiensis, Archiepiscopus Neapolitanus, qui super scripturam multa scripsit, multiplici scientia his diebus refulsit.*	2

Idem

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1302	8	*Idem pontifex hoc anno concessit, quòd fratres in capitulis prouincialibus possent examinari, ad prædicationes faciendas, confessiones audiendas, & certos actus faciendos autoritate apostolica. Laterani, Sextodecimo calendas Februarij.*	3
1303	9	XV. *peracta est synodus Generalis Perusii, in prouincia tunc temporis Romana, die Vigesima sexta Maij, in qua Prior Generalis frater Franciscus de Monte Rubiano pro alio triennio confirmatus est.*	4
		BENEDICTVS. XI. ROMANVS PONT. CCI.	
1304	1	*Concessit hic pontifex, ut Prior Generalis posset absoluere fratres ab excommunicatione, & cum eisdē super irregularitate dispensare, hocq; ipsum prouincialibus Prioribus cōmittere, siue ante ingressum ordinis, siue post in cēsuras huiusmodi incurrissent. Laterani, Quarto idus Februarij.*	5
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT MENSIBVS. XI.	
1305	1		6
		CLEMENS. V. VASCO. PONTIFEX. CCII.	
1306	1	*Pontifex iste curiam Romanam, ex Vrbe Auinionem in Galliam transtulit, vbi annis lxxiiij. fuit.* XVI. *celebratum est capitulum Generale Bononiæ, in prouincia Romandiolæ, die Vigesima secunda Maij, in quo idem Prior generalis iterum confirmatus est.* *In hoc capitulo præceptum fuit, ut in vigilia sancti Patris nostri Augustini omnes nostri ordinis fratres ieiunarent.*	7
1307	2	XVII. *congregata est synodus Generalis Gandaui, in prouincia Coloniæ, die Quartadecima Maij.* *Prior Generalis frater Franciscus post capitulum generale, Gandaui naturæ concessit, die Vigesima quinta Decembris.*	8
1308	3	XVIII. *Habita sunt comitia generalia Ianuæ, in prouincia Lombardiæ, die Vigesima octaua Augusti, in quibus fratre Francisco Generali priore mortuo, Nonus ordinis nostri Prior generalis subrogatus est* MAGISTER FRATER IACOBVS ORTANVS *prouinciæ Romanæ, qui stetit annis quatuor.*	1

Anni salu.	An. Põt.		An. Ge.
1309	4	Beatus Augustinus Nouellus de Terano vir sanctissimus, decimo postq. magistratu se abdicauerat anno, multis miraculis clarus, in loco sancti Leonardi, quo se posito magistratu contulerat, migrauit ad Dominum.	2
1310	5	Magister frater Henricus de Vrimaria, Theologus consultissimus, qui multa ædidit opera, his diebus resplenduit.	3
1311	6	MAGISTER FRATER ALBERTVS PATAVINVS ordinis nostri summum decus, Egidy Romani alumnus, & auditor, clarus habitus est. Huic ob eius singularem doctrinam statua, quæ ad hunc usq; diem extat, aureis exornata titulis, in Patauino prætorio decreta fuit, & posita.	4
1312	7	XIX. congregatus est cõuentus noster Generalis Viterbij in prouincia Romana, die Quartadecima Maij, ubi Decimus Generalis prior ordinis nostri Magistro fratri Iacobo Orvano suffectus est MAGISTER FRATER ALEXANDER DE SANCTO ELPIDIO, Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, qui præfuit annis Quatuordecim. In hoc capitulo sancitum fuit, ut solæ constitutiones Rathisponæ probatæ seruarentur, atq; omnes ad earum normam sese componerent. Deinde quòd fratres nostri ordinis noua decreta per concilium Generale ædita, quo debebant animo reciperent, & suis ad populum sermonibus prædicarent, atq; ad eorum obseruationem omnes & singulos inuitarent. Ad hæc, quòd fieret festum Dedicationis Basilicarum sancti Saluatoris, & Sanctorum Petri & Pauli apostolorum eo die, et modo, quo celebrat sancta mater Ecclesia.	1
1313	8		2
1314	9		3
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT AN. II. MEN. III. DIE. XVII.	
1315	1	XX. coactum est capitulũ Generale Patauij, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Duodecima Maij, ubi eidẽ Generali in aliud trienniũ magistratus prorogatus est. In hoc capitulo decretum fuit, quòd feria tertia post Ascensionem Domini celebraretur festum Translationis sancti Lodouici Regis Francorum.	4

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.
1316	2		5
		IOANNES. XXII. CATVRCENSIS. PONT. CCIII.	
1317	1	*Hic pontifex concessit nobis bullam contra priuilegiorum nostrorum contemptores. Auinioni, Quartodecimo calendas Maij.*	6
1318	2	XXI. *celebrata est synodus Generalis* Arimini *in prouincia* Romandiolæ, *die Quarta Iunij, in qua denuò pro alio triennio idem* Prior *generalis confirmatus est.* *In hoc capitulo definitum fuit, corpus constitutionum intelligi illas constitutiones, quæ æditæ, uel confirmatæ fuerunt in capitulo nostro* Rathisponensi, *sub Priore generali beato fratre* Clemente, *quas ipse* Prior Generalis *frater* Alexander, *Summo pontifici ostendit, à quo & laudatæ fuerunt.* *Item ad laudem* Beatæ *virginis statutũ fuit ut fratres nostri ordinis, siue in cõmuni, siue in speciali, siue in ecclesia, siue extra, in fine cuiuslibet horæ, excepta prima, & tertia, cum immediatè cantatur* Missa, *dicerent* Salue *regina, cum versu* Aue Maria *gratia plena.* Respon. *Dominus tecum.* Oratio. *Concede misericors deus etc.*	7
1319	3	*Animaduertendum est, his temporibus, ut ex quibusdã antiquis nostræ religionis uoluminibus didicimus, ordini nostro concessa fuisse officia* Sacristæ, & *confessorũ* Domini Papæ *pro tempore existentis, ac custodiæ librorum* Sũmi *pontificis, quæ tria officia ad ordinem nostrum de antiqua et approbata consuetudine pertinere manifestum est ex ijs, qui eisdem officijs præfuerunt, quos ex ordine nostro acceptos fuisse sic dignoscitur.* Nã *hoc tempore quidam* Magister Ioãnes Lemonicensis *ordinis nostri scilicet fratrum* Eremitarũ. s. Augustini, *ex cõuentu* Lemonicensi, Sacrista *et* Confessor *felicis recordationis.* D.D.D. Ioãnis. xxij. Benedicti. xij. *et* Clemẽtis. vi. *fuit, quo mortuo, eadem officia religionis nostræ patribus ferè semper tradita fuisse eorum continua successio demonstrabit.* De alio Sacristæ uide Anno Domini. 1346. Primus itaq; *ordinis nostri* Sacrista. S.D.N. Papæ *fuit* Reuerendus Pater Magister Ioannes Lemonicensis.	8
1320	4		9
1321	5	XXII. *peracta sunt comitia nostra* Generalia Taruisii, *in prouincia* Marchiæ Taruisinæ, *die Septima Iunij, ubi idem* Prior *generalis tertiò in aliud triennium confirmatus fuit.*	10

Anni salu.	An. Pōt.		An. Gē.
1322	6	Beatus Magister frater Augustinus de Ancona, uir sacræ Theologiæ peritus, & multis super scripturam æditis operibus insignis, Carolis & Roberto Regibus Neapolitanis charus existens, Neapoli obyt.	11
1323	7		12
1324	8	XXIII. celebratus est conuentus noster Generalis in Montepesulano, in prouincia Narbonensi, die Tertia Iuny, in quo quartò eidē Generali ob rempublicam rectè administratam, cura ordinis continuata est. In hoc capitulo decretum fuit, ne nothus promoueretur ad lecturam sententiarum, uel Bibliæ. Item quòd cum omni solicitudine, & reuerentia mandata Summi pontificis, & Dominorum sedis apostolicæ Legatorum inuiolabiliter obseruarentur.	13
1325	9	Frater Thebaldus Veronensis mirabili sanctimonia decoratus, qui in Episcopatu Veronēsi sedit annis triginta quatuor, his tēporibus, fulgore famæ ac gloriæ resplēduit.	14
1326	10	XXIIII. congregatum est capitulum Generale Florētiæ, in prouincia Pisana, die Vigesima octaua February, scilicet in secunda translatione sancti Patris nostri Augustini, ubi Magistro fratri Alexandro ad episcopatum assumpto, Vndecimo loca substitutus fuit uir diuini iuris consultissimus, & sacræ Theologiæ professor eximius MAGISTER FRATER GVILLELMVS CREMONENSIS, prouinciæ Lombardiæ, qui ordini nostro summa uigilantia præfuit annis Decē et septē. In hoc capitulo sancitum fuit, ut officium diuinum celebraretur iuxta formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ. Item quòd fratres nostri ordinis non possent stare in castris rebellium. S.R.E. Hoc etiam anno, cum in vulgus rumor exysset, Imperatorem Cæsarem Lodouicum IIII. Bauariæ Ducem contra Ecclesiæ uoluntatem, ut se de Sūmo pontifice ulcisceretur, à quo superioribus annis ecclesiæ cōmunione interdictus, dirisq; pontificys publicè petitus fuerat, Romam uenturum. D. Ioannes Caietanus de Vrsinis pontificius Legatus, (curia enim Romana eo tēpore magno totius orbis Christiani incōmodo Auinioni erat) conabatur urbē præsidys munire, seq; ad defendendū contra Bauarū præparabat, sed à Romanis, quorū maior pars ab Imperatore stabat, urbe pulsus Anagniam petyt, ubi multorū Episcoporū et Abbatū cōgregata synodo, inter alia multa decreuit, ut supplicatiōes ad Deū pro salute Ecclesiæ, et almæ urbis cōseruatiōe hērentur. Quapropter uir magna uirtute, et sanctitate clarus Frater Ioānes Sassi nostri ordinis, Romanus ciuis, et Romanæ Prouinciæ prouincialis, q dictæ synodo interfuerat, cū in urbē uenire	1

uenire tutò non posset, Vrbem ueterem profectus, congregatisq; qui religionem colebant nostri ordinis fatribus, mandauit ut secunda, quarta et sexta feria in Missa conuentus immediatè post introitum, cantarentur solenniter et deuotè letaniæ, & kyrie deinde, secundum quod proceditur in missa: & suasit fratribus, ut Sūmum pontificē, ac statum sanctæ matris Ecclesiæ, in orationibus suis apud Dominum cōmendatum haberent, atque ipsum obnixè deprecarentur, ut ecclesiam sponsam defenderet, ac seruaret; Lodouico autem cæsari meliorem mentem, & animum exhiberet.

1317 18 Magister frater Guillelmus Prior generalis, prudentia ac ineffabili præditus sanctimonia, à Sūmo pontifice multas habuit legationes, quas semper strenuè gessit, ita ut eum Sūmus pontifex proprio motu in numerum cardinalium cooptare voluerit, ipse verò ex animo renuit, & optione sibi facta, ut si quid uellet exposceret, rogauit, ut nobis beati patris Augustini filijs & primogenitis corpus eiusdem sancti Patris concederetur, quod et obtinuit: Pontifex enim de fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, corpus beati Augustini hoc anno nobis donauit, & eius custodiam perpetuam nostro ordini in Ecclesia sancti Petri in cœlo aureo Papiensi commisit, mandans diuinum officium simul in eadem Ecclesia perpetuò fieri tam per nos q; per canonicos regulares; nosq; ac illos instruens, quomodo ob reuerentiam tanti patris uiuere debeamus. Auinioni. Tertiodecimo calendas Februarij. 2

Et sic ipse pater honorē ordinis puniceo præferens galero, ædificari ab ordine nostro à fundamentis monasteriū Papiense iussit, expensis per totam religionem taxatis.

Et hæc concessio vocata est, Reunio corporis sancti Augustini, membrorū scilicet qui sumus nos, & capitis qui est Diuus pater Augustinus.

1318 12 Hoc anno die sexta Ianuarij Lodouicus Imperator Romam uenit, ubi à Sara colūnio patritio Romano, præter Pontificis uoluntatem nulla solita solēnitate seruata, coronatus, sua sententia Ioannem pontificem priuauit, & Petrum Corbariensem Reatinū pontificem fecit, atq; iterum ab eo sibi imponi coronam iussit, sicq; sibi inuicem falsi suæ dignitatis autores facti sunt. 3

Hic frater Petrus ubi primum Pontifex nuncupatus est, quasi uerum sanctæ romanæ Ecclesiæ caput esset, Cardinales nōnullos sibi similes creauit, inter quos (vt ipsorum vita unius exemplo innotescat) fecit cardinalem Fratrem Nicolaum de Fabriano apostatam nostrum, deinde monacum, qui fugerat è carceribus nostris, in quibus, ut patet ex actis Capituli Generalis in Monte Pesulano celebrati, fuerat perpetuò mancipatus. Episcopū item fecit Recanatensem fratrem Andream de Recaneto, ordinis nostri, apostatam; qui primò ob sua flagitia in carcerem positus à Generali Magistro fratre Alexandro, deinde expulsus è sua prouincia fuerat.

Hic post mortem dicti Generalis Romam venerat, occultansq; de industria malitiam, sic apud Romanos fratres & prouincialem eiusdem prouinciæ Fratrem

Anni salu.	An. Pôt.		An. Ge.
		Ioannem Saſſi dixit, & egit, ut unus ex triumuiris, quibus rerum ſacrarum cura demandata erat, antequàm Lodouicus Imperator Romã ingrederetur, creatus ſit. Hoc nanq; officium, illis, metu direptionis Vrbanæ, quam fore patres formidabant, ſi Cæſar vrbem caperet, decretum erat. Bonis itaq; noſtri ordinis fratribus ob immanem sæuitiam, & tyrannidem Imperatoris Roma fugientibus, tempus ipſe opportunũ nactus ſceleſtiſſimo pſeudopapæ adhæſit, omniaq; eccleſiæ ſancti Triphonis (id enim eo tempore erat templum noſtrũ) paramenta, & theſauros ſuæ traditos cuſtodiæ, detexit prædicto fratri Nicolao de Fabriano cardinali, diripiendosq; ſic tradidit, inter quos etiam capella Domini Egidii Romani Archiepiſcopi Bituricenſis, qua eccleſiam noſtram ceu magno munere donauerat, ſublata fuit; aſcendebat nanq; ad pretium mille florenorum. hacq; de cauſa mox à Pſeudopapa dictus eſt Epiſcopus Recanatenſis.	
1329	13	XXV. Coacta eſt synodus Generalis Lutetiæ Pariſiorum in prouincia Franciæ die Octaua Nouembris, in qua idem Generalis confirmatus eſt. In hoc capitulo decretum fuit, ut hora ſexta cantaretur cum nota ſicut cæteræ horæ. Item quòd fratres genuflecterent ad illud symboli Niceni Et homo factus eſt.	4
1330	14		5
1331	15	Frater Ioãnes Senen. in cõuentu s. Saluatoris Syluæ lacus maxima ſanctitate floruit.	6
1332	16	XXVI. comitia noſtra Generalia celebrata ſunt Venetijs, in prouincia Marchiæ Taruiſinæ, die Prima Iuny, ubi eidem Generali officium in aliud triennium prorogatum eſt. In hoc capitulo ſtatutum fuit, ne prædicatores noſtri ordinis contra prælatos eccleſiæ, quos tanq; patres reuereri debemus, prædicare præſumerent; quòdq; ſi quis ſuperbiæ ſpiritu inflatus contra præſens decretum aliquid attentare præſumpſiſſet, in terra coram toto conuentu ſedens, panem & aquam manducaret, donec in prædicatione temeraria dicta plenariè reuocaret; mandatumq; eſt ſingulis Prioribus, & eorum Vicarijs sub pœna inobedientiæ Generalis, ut prædicta facerent obſeruari. Quòd ſi inde ſcandalum oriretur, pœnæ grauioris culpæ per menſem ſubiacerent, & tantò plus, quantò ſcandalum eſſet maius. Item, quòd infra octauam corporis Chriſti non fieret de aliquo feſto, niſi fuiſſet duplex, clericiq; & laici cõmunicarent in die illa. Item, quòd omnes conuentus ſoluerent certam pecuniam pro ædificando monaſterio ſancti Auguſtini in Papia.	7

Magiſter

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.
1333	17	*Magister frater* Hermanus de Scildis, *uir & scientia, & sanctimonia clarus hoc tempore floruit.*	8
1334	18	*Magister frater* Barptolemæus de Viterbio, *Augustini Anconitani discipulus his temporibus suis luculentissimis scriptis ordinem nostrum illustrauit.*	9
		BENEDICTVS. XII. THOLOSANVS. PONT. CCIIII.	
1335	1	XXVII. *peractus est conuentus noster Generalis Grassæ in prouincia Prouinciæ, die Quarta Iuny, ubi tertiò idem Generalis in sequens triennium confirmatus est.*	10
1336	2	*Magister frater Gerardus Senensis uir omni scientiarum genere præstantissimus, his diebus illuxit.*	11
1337	3		12
1338	4	XXVIII. *peractum est capitulum Generale Senis, in prouincia Senensi, die Vltima May, in quo eidem Generali ob rem egregiè gestam, quartò cura ordinis in sequẽs triennium continuata est.* *In hoc capitulo inter alia præceptum est, quòd Quinta die mensis Iunij celebraretur festum Reunionis, quando scilicet concessum nobis fuit corpus Beati Augustini: & fieret officium eiusdem sub ritu minoris duplicis.*	13
1339	5	*Beatus frater Simon de Cassia, uir nunquàm satis laudatus, maximo his temporibus religioni nostræ ornamento fuit.*	14
1340	6	*Magister frater Michael de Massa, & humanis, & diuinis literis ornatissimus, et eos qui suo tempore in humanis degebant, et posteros in admirationẽ sui perduxit.*	15
1341	7	XXIX. *coactus est conuentus noster Generalis Tholosæ, in prouincia Tholosæ & Aquitaniæ, die Vigesima septima May: ubi quintò idem Generalis confirmatus est.* *In hoc capitulo definitum fuit, quòd Quinta die May fieret festũ Cõuersionis sancti Augustini, cum officio festi Depositionis eiusdem, atq; in calendarys scriberetur.*	16

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		CLEMENS. VI LEMONICENSIS. PONT. CCV.	
1342	1	*Magister frater Vmbertus de Accarigio doctor Parisiensis uita & doctrina clarissimus his temporibus inter Ilices Syluæ lacus habitauit, plurimumq; patribus illic degentibus doctrina profuit & exemplo.*	17
1343	2	*Magister frater Gullielmus Cremonensis Prior generalis Episcopus Nouariensis declaratus est à Summo pontifice Clemente.V* XXX. *peracta est synodus Generalis Mediolani in prouincia Lombardie, die prima May, ubi Duodecimus Prior generalis nostri ordinis declaratus est* MAGISTER FRATER DIONYSIVS MVTINENSIS *tunc prouinciæ Lombardiæ, qui præfuit annis duobus.* *In hoc capitulo reuocata sunt festa Reunionis, & Conuersionis Beati Augustini, & tria tantum derelicta, primæ scilicet Translationis Vndecima Octobris; Secūdæ ultima February; & Depositionis Vigesimaoctaua Augusti.*	1
1344	3	*Magister frater Alphonsus de Toleto Archiepiscopus Hispalensis, sacræ Theologiæ doctor, sui nominis & uirtutis memoriam, quæ nulla posteritatis obliuione delebitur, uiuens reliquit.*	2
1345	4	XXXI. *celebratum est capitulum Generale Lutetiæ Parisiorum in prouincia Franciæ, die Vndecima Iulij; in quo Tertiusdecimus Prior generalis Magistro fratri Dionysio substitutus fuit præclarissimus uir* MAGISTER FRATER THOMAS DE ARGENTINA *prouinciæ Rheni et Sueuiæ, qui ordinem rexit annis duodecim.* *In hoc capitulo cōmissum est patri Generali, ut moderaretur, & declararet constitutiones Rathisponenses, & aderet, si opus esset.* *Item præceptum fuit à Patribus, quòd nullus doctrinas uarias & peregrinas sequeretur, seu doceret publicè uel priuatè, sed eas tantum teneret ac doceret, quas canonicæ, uel doctorum ab Ecclesia approbatorum scripturæ confirmarent, sub pœna priuationis omnium graduum, ut etiam quisquis secus ac definitum fuisset ageret, perpetuò in religione esset infamis.*	1
1346	5	*Circa hæc tēpora, mortuo Sacrista D.N.Papæ Magistro fratre Ioāne Lemonicensi, quidam Magister frater Raymundus de Acōno nostri ordinis, conuentus Appamiarum prouinciæ Tholosæ, Episcopus primò Foroliuiensis, & deinde translatus ad* Ecclesiam	2

Anni salu.	An. Pôt.		An. Ge.
		Ecclesiam Appamiarum, secundus fuit, qui ex ordine nostro illis tribus officijs Domini nostri Papæ fungeretur, scilicet Sacristæ, Confessoris, et Bibliothecarij, tempore. D.D.D. felicis recordationis Clementis.vi. Innocentij. vi et Vrbani.v. qui propter senium, anno deinde Domini.1366. ad Ecclesiam suam Appamiarum se contulit. De alio sacrista uide anno Domini.1366.	
1347	6	Clemens Pontifex concessit ordini nostro, & confirmauit priuilegium. D. Bonifacij Papæ.viij. scilicet quòd personæ ordinis nostri, ecclesiæ, oratoria, domus, et omnia substantia ad ordinem nostrum prorsus essent exempta, & nullus, excepto Romano pontifice, posset in nos, & loca nostra iurisdictionem aliquam exercere; addiditq; quòd neq; possemus conuenire ratione dicti uel contractus, aut rei de qua agitur; reuocando constitutionem. D. Innocentij. iiij. oppositum decernentis. Auinioni. Quarto decimo calendas Augusti.	3
1348	7	XXXII. congregata est synodus Generalis Papiæ in prouincia Lõbardiæ die Octaua Iunij, vbi idem Generalis confirmatus est in sequens triennium. In hoc capitulo acceptæ sunt additiones & moderationes prædicti Generalis super constitutiones Rathisponenses ab ipso æditæ. Item definitum fuit, quòd nullus nostri ordinis frater auderet tenere logicam Ockã vel aliud aliquod opus eius, uel similia, sub excõmunicationis pœna. Hoc tempore lugubris & miseranda pestis orbem uniuersum penè inuasit, quæ in Asia apud Indos incipiens, passimq; in omnes prouincias irrepens trium annorũ spatio usq; Britannos, ubiq; terrarum in omnes gentes desæuit, & in hoc triennio ex fratribus nostri ordinis, quinque millia, & quatuor supra octuaginta periere.	4
1349	8	Magister frater Barptolemæus Vrbinas ob insignem doctrinam, et sanctimoniam à Clemente.vi. põtifice maximo Vrbinas Episcopus creatus fuit, cuius opus cui Milleloquio nomen est, si aderetur, & studium & diligentiam ipsius in sancti Patris Augustini doctrina inuestiganda testaretur.	5
1350	9	Magister frater Ioannes de Fabriano celebris uir, multis scriptis clarus circa hæc tempora floruit.	6
1351	10	XXXIII. habita sunt comitia nostra Generalia Basileæ in prouincia Rheni & Sueuiæ, die Decima Iunij, ubi eidem Priori generali magistratus in aliud triennium ob Rempublicam optimè gubernatam prorogatus est.	7

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1352	11		8
		INNOCENTIVS. VI. LEMONICENSIS. PONT. CCVI.	
1353	1	*Hic Pontifex concessit ut familiaribus nostris possemus porrigere sacramenta Ecclesiastica, & apud nos sepellire, & quòd possent diuinis officijs tempore interdicti, nobiscum interesse.* Auinioni, *Sexto decimo calendas Februarij.*	9
1354	2	XXXIIII. *congregatus est conuentus noster Generalis Perusii in prouincia Vmbriæ, die Prima Iunij, in quo tertiò idem Prior generalis confirmatus est.* *In hoc capitulo decretum fuit, ut ordinis Procurator in capitulo Generali ueluti definitor in omnibus uocem haberet.* *Item quòd immediatè post primam diceretur pretiosa cum pronunciatione Martyrologij, prout in breuiario continetur.*	10
1355	3		11
1356	4	*Priori generali Magistro fratri Thomæ de Argentina mortuo, subrogatus est Vicarius Generalis Magister frater Gregorius Ariminensis, cuius scripta passim leguntur acutissima, & eruditissima.*	12
1357	5	XXXV. *coactum est capitulum Generale in Montepesulano in prouincia Narbonensi, die Quarta & vigesima Maij, in quo quartodecimo loco Generalis prior pater Vicarius* MAGISTER FRATER GREGORIVS ARIMINENSIS *prouinciæ Romandiolæ creatus est, qui præfuit anno uno.*	1
1358	6	XXXVI. *celebrata est synodus Generalis Patauij in prouincia Marchiæ Taruisinæ die Quarta Septembris, in qua post mortem Magistri fratris Gregorij Ariminensis* MAGISTER FRATER MATTHAEVS ASCVLANVS *prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, Quintus decimus ordinis nostri Generalis prior creatus est, qui annis Decem ordinem rexit.*	1
1359	7	*Magister frater Prosper Regiensis hoc sæculo illustris habitus est.*	2

Magister

Anni sālu.	An. Pōt.		An. Ge.
1360	8	*Magister frater Gerardus Bergomensis uir doctissimus hac tempestate floruit, quem ob eius summam doctrinam Summus pontifex Episcopum Sauonensem creauit.*	3
1361	9		4
1362	10	XXXVII. *peracta sunt comitia Generalia Viennæ, in prouincia Austriædie, Decima Iunij, in quibus idem Generalis prior confirmatus est.*	5
		VRBANVS. V. LEMONICENSIS. PONT. CCVII.	
1363	1		6
1364	2		7
1365	3	XXXVIII. *celebratus est cōuentus noster Generalis Senis in prouincia Senensi, die Prima Iunij, in quo eidem Generali ob religionem nostram egregiè administratā iterum in aliud triennium continuata est cura ordinis.*	8
1366	4	*Magistro Fratri Raymundo ordinis nostri Sacristæ. S.D.N. Papæ, qui cum ætatis confectæ esset, quieti suæ indulgere voluit, in eisdem tribus officijs Tertius ex ordine nostro successit frater Petrus Amelij de Brenaco, ex prouincia Tholosana, Limosi Narbonensis Diœcesis natus, qui toto tempore Domini Vrbani Papæ v. unà cū quodam fratre Petro de Appamis, qui ab eodem posteà Vrbano. v. primus Episcopus Montisfalisci creatus est, prædicto Magistro fratri Raymundo fuerat in tot laboribus auxilio, & leuamini. Præfatus igitur Frater Petrus Amelij de Brenaco, postq̄ Pontifex Auinionem peruenit, & uiuente ut prædiximus, & uita functo Magistro fratre Raymundo ijsdem officijs functus, primum Episcopus Senogalliensis creatus est, deinde Archiepiscopus Tarentinus, Patriarcha item Gradensis, & tandem Patriarcha Alexandrinus, & administrator Ecclesiæ Aquensis in Vaschonia, fuitq; Sacrista & confessor. DDDD .Summorum pontificum Vrbani. v. Gregorij. xi. Vrbani. vi. & Bonifacij. ix. in suis obedientijs. De alio Sacrista vide anno Domini. 1395.*	9
1367	5	*Magister frater Dionysius de Burgo sancti Sepulchri, uir doctissimus, his temporis*	10

Ann. salu.	An. Pôt.		An. Ge.
		bus sua doctrina ordinem nostrum reddidit clariorem.	
1368	6	XXXIX. *congregatum est Capitulum generale Auinioni in prouincia Prouinciæ, die Vigesima octaua Maij, ubi Sextus decimus post mortem Magistri fratris Mat thæi creatus est Prior generalis* MAGISTER FRATER VGOLINVS VRBEVETANVS *prouinciæ Romanæ, qui ordinem gubernauit annis tribus.*	
1369	7		2
1370	8	*Magister frater Vgolinus Prior generalis creatus est Episcopus Ariminensis & Patriarcha Constantinopolitanus, ab Vrbano Papa. v. Vicariusq; factus fuit Magister frater Guido.*	3
		GREGORIVS. XI. LEMONICENSIS. PONT. CCVIII.	
1371	1	XL. *coacta est synodus nostra Generalis Florentiæ in prouincia Pisana, die Vigesima quinta Maij, ubi Decimus septimus Prior generalis declaratus fuit* MAGISTER FRATER GVIDO DE BELLOREGVARDO, *qui ordini præfuit annis sex.* *In hoc capitulo præceptum fuit quòd cum nomen Iesus nominatur in officio diuino, legendo aut cantando, omnes inclinarent uel genuflecterent.* *Item quòd in uesperis, et matutinis, quando peraguntur suffragia commemorationum Sanctorum Petri et Pauli, Augustini, & aliorum, prima commemoratio fit de Beata virgine.* *Item quòd immediatè post Antiphonam et collectam quæ de Beata virgine statim post Completorium dicuntur, per campanam maiorem fiat signum ad Aue Maria, ad quod fratres genuflexi dicant Aue maria, in honorem Beatæ uirginis.* *Item quòd festa trium lectionum cum nouem lectionibus celebrentur.* *Item quòd nullum festum Commemorationis perageretur in die festi duplicis, sed trasferreretur, & fieret sicut fit per Romanam Ecclesiam, ad cuius obseruantiam sumus in horis canonicis obligati.* *Item quòd festum Conuersionis Beati Augustini die Quinta Maij, cum officio duplici celebraretur.* *Item quòd in sermone, qui legitur ad Benedicta tu post Completorium, exprimatur titulus beati patris nostri Augustini.*	1

Anno salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1372	2		2
1373	3	*Iste Pontifex Romanam curiam Auinione reduxit Romam.*	3
1374	4	XLI. *celebrata sunt comitia nostra Generalia Coloniæ, in prouincia Coloniensi, die Vigesima prima May, ubi pro alio triennio idem Generalis confirmatus est.* *In hoc capitulo statutum fuit quòd semper in principio omnium horarum & in fine, post Pater noster diceretur Aue Maria.*	4
1375	5		5
1376	6		6
1377	7	XLII. *peractus est conuentus noster Generalis Veronæ, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Decima septima Maij; vbi post mortem Magistri fratris Guidonis Generalis, Decimus octauus nostri ordinis Prior generalis creatus est* MAGISTER FRATER BONAVENTVRA PATAVINVS *prouinciæ Marchiæ Taruisinæ, qui ordini nostro præfuit annis octo.* *In hoc capitulo decretum fuit, ut de sancto Benedicto fieret officium duplex.* *Item, quòd post Memento salutis auctor diceretur iste uersus Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*	1
1378	8		2
		VRBANVS. VI. NEAPOLITANVS. PONT. CCIX.	
		Clemente.vij. Pseudopapa Fundis creato, ortum est schisma annorum.xxxix.	
1379	1		3
1380	2		4
1381	3		5
1382	4	*Magister frater Augustinus de Asculo doctor præstantissimus his tēporibus uixit.*	6

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.
1383	5	*Magister frater Bonsemblans Patauinus, huius Generalis frater uterinus, multiplici scientia præditus, hoc sæculo & patriam & ordinem illustrauit.*	7
1384	6		8
1385	7	*Magister frater Bonauetura Prior generalis Cardinalis, S.R.E. Tituli sanctæ Cæciliæ à summo pontifice Vrbano.vi. creatus est, qui cum postea rem ecclesiasticam acerrime aduersus Tyrannos tueretur à Carrariensi principe sagitta transfixus ad meliorem patriam hinc migrauit.* *Miror hic cur Raphael Volaterranus, egregius historiarum indagator tantum à ueritate aberrarit, ut hunc Bonauenturam Cardinalem Patauinum à Carrariensibus interfectum minoritam fuisse asseruerit suarum historiarum libro Vigesimo primo: suis namq; dictis sepulchrum eius, quod apud nos est Romæ cum elogio suo, et omnium suorum assiniū, quod est Pataui in Aede nostra, refragatur. Ad hæc nostra religionis extant uetustissima scripta, tum Romæ, ubi didicimus eum fuisse Decimum octauū Generalem ordinis nostri, & Cardinalem ab Vrbano. vi. creatum, tum Patauij, ex quibus eum fuisse primum inuenimus, qui ex ordine nostro & Ciuitate Patauina ad Cardinalatus dignitatem assumptus fuerit.* *XLIII. peractum est capitulū Generale Strigoniæ in prouincia Vngariæ, die Decimanona May, in quo Decimus nonus ordinis nostri Prior generalis electus fuit* MAGISTER FRATER BARPTOLEMAEVS VENETVS, *prouinciæ Marchiæ Taruisinæ, qui religionem rexit annis Quindecim.* *In hoc capitulo fratribus nostri ordinis ieiunium in vigilys Purificationis et Annunciationis beatæ Mariæ virginis indictum fuit.*	1
1386	8	*Frater Petrus Spirensis uir in omni literarum genere peritissimus, ordinis nostri splendori splendorem addidit his temporibus.*	2
1387	9	*Congregatio Ilicetana per hæc tempora exordium sumpsit per Reuerendissimum Priorem generalem Magistrum Barptolemæum Venetum, à quo etiam, & à Reuerendissimus prioribus generalibus Magistro Nicolao de Cassia, & Gerardo Ariminensi plurima habuit priuilegia.*	3
1388	10	*XLIIII. coactus est cōuentus noster Generalis Imolæ, in prouincia Romandiolæ, die Decima septima May, in quo iste Generalis pro alio triennio confirmatus est.* *Decretum est in hoc capitulo à patribus, ut in translationibus beati Augustini, & eiusdem conuersione, & in festo s. Monicæ fieret officium minus duplex.*	4

In festis

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		In festis uerò sanctorum Simpliciani, & Guillelmi fiat duplex minus. Item, quòd propter festa quarumcunq; capellarum alicuius conuentus ordinis, officium Virginis non dimitteretur, neq; sanctorum commemorationes nisi in loci uocabulo principali.	
1389	11	Vrbanus pontifex confirmauit omnes immunitates, et gratias à prædecessoribus Ordini concessas. Perusii pridie calendas May.	5
		BONIFACIVS. IX. NEAPOLIT. PONT. CCX.	
1390	1		6
1391	2	XLV. peracta est synodus Generalis Herbipoli, in prouincia Saxoniæ, die Decimanona May; ubi eidem Generali denuò in aliud trienniuṁ officium prorogatuṁ est. In hoc capitulo sancitum fuit, quòd in fine horarum omnium diceretur. Salue Regina etc. genibus flexis, et capite discooperto, sic ad Homo factus est, & ad Gratias agamus Domino deo nostro.	7
1392	3		8
1393	4		9
1394	5	XLVI. celebratum est capitulum Generale Arimini in prouincia Romandiolæ, die quintadecima Iuny, in quo idem Generalis pro alio triennio tertiuṁ confirmatus fuit.	10
1395	6	Mortuo fratre Petro de Brenaco Patriarcha Alexandrino, in eisdem tribus officys quartus ex ordine nostro ei successit Frater Petrus Assalbiti conuentus Limosi, eiusdem fratris Petri nepos, qui habuit prædicta officia tempore Dominorum pontificum, Bonifacy.ix. Innocenty.vy. Gregory.xy. Alexandri.v. Ioannis.xxiy. Martini.v.& Eugeny.iiy. primumq; promotus fuit ad ecclesiam Olorensem, deinde ad Ecclesiam Condouensem, & demum ad Electensem. De alio Sacrista uide anno Domini. 1440.	11
1396	7	M. frater Boetius de Tolentino prouinciæ Picenæ existimationem suis præclaris virtutibus auxit.	12

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.
1397	8	XLVII. congregata est synodus Generalis Monaci in prouincia Bauariæ, die Decima septima Iuny, in qua eidem Generali magistratus in sequens triennium quartum confirmatus est. In hoc capitulo definitum fuit, ut Visitationis beatæ Mariæ Festum secunda die Iuly celebraretur, ut in calendario continetur, diceretur q; officium Natiuitatis beatæ Virginis, præter Euangelium, quod illud esse debet: Exurgens Maria etc. Festum quoq; sancti Pauli primi Eremitæ fieret eo die quo uenit, non obstante octaua Epiphaniæ. Indicta etiam est collecta pecuniarum pro expensis faciundis, in canonizatione sancti Nicolai de Tolentino. Deinde ut semel in mense cantaretur unum nocturnum mortuorum dictis uesperis de die; & manè sequenti cantaretur missa cum processione mortuorum solenni super sepulturas.	13
1398	9	Beatus frater Ioannes de Lana Bononiensis sacræ Theologiæ Baccalarius, & uir sanctissimus, cuius multa extant opera, hoc tẽpus illustrius reddidit sua doctrina.	14
1399	10	Frater Simon de Cremona sũmus Philosophus, et Theologus, his temporibus clarruit. Congregatio carbonaria, siue sancti Ioannis Neapoli, his temporibus initiũ habuit.	15
1400	11	Bonifacius Pontifex concessit indulgentiam plenariam uisitantibus capellam beati Nicolai de Tolentino, cum autoritate instituendi Confessores, qui ab omnibus casibus absoluerent, præterq; reseruatis Sedi apostolicæ per dies decem ante Dominicam immediatè sequentem festum beati Nicolai: Indulgentia autem est, quæ est Asisii in festo portiunculæ. Romæ apud sanctum Petrum calendis Martys. XLVIII. habita sunt comitia nostra Generalia Aquilæ in prouincia Apruty, die vndecima Iuny, in quibus uigesimus ordinis Generalis prior Magistro fratri Barptolemæo suffectus est MAGISTER FRATER NICOLAVS DE CASSIA prouinciæ vmbriæ, qui præfuit annis duodecim. In hoc capitulo statutum fuit, ut ad Versum, Te ergo quæsumus tuis famulis subueni etc. fieret, quod ad Homo factus est, fieri solet.	1
1401	12		2
1402	13	Lector beatus frater Simon de Tuderto, uir doctus & sanctissimus, his temporibus uixit.	3

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1403	14	XLIX. *congregatus est conuentus noster Generalis Launghinghen in prouincia Sueuiæ, die tertia Iunij, in quo idem Generalis confirmatus est.* *Decretum fuit in hoc capitulo ut in octaua Beati Augustini fieret officiū duplex.*	4
1404	15		5
		INNOCENTIVS. VII. SVLMONENSIS. PONT. CCXI.	
1405	1		6
1406	2		7
		GREGORIVS. XII. VENETVS. PONT. CCXII.	
1407	1		8
1408	2	L. *coactum est capitulum Generale Ferrariæ, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Quarta Iunij, ubi iterum idem prior Generalis confirmatus est.* *Hoc anno de licentia Gregorij Sūmi pontificis Decē fratres cōgregationis Ilicetanæ cum duobus laicis mutauerunt habitum, et fuerunt initiū congregationis Seopetinorū.*	9
1409	3	*Magister frater Iordanus Saxo, uir multo ingenio, magnaq; scientia insignis, hoc sæculo quasi lucerna in religione resplenduit.*	10
		ALEXANDER. V. CRETENSIS. PONT. CCXIII.	
1410	1		11
		IOANNES. XXIII. NEAPOLITANVS. PONT. CCXIIII.	
1411	1	*Magister frater Nicolaus de Cassia creatus est Episcopus Recanatēsis, Vicariusq; Generalis eidem substitutus fuit Magister frater Petrus de Vena.*	12
1412	2	LI. *celebrata est synodus Generalis Romæ, die uigesima secunda Maij, in qua uigesimus primus ordinis Generalis creatus est prædictus* MAGISTER FRATER PETRVS DE VENA, *qui ordinem nostrum gubernauit annis. vij.*	1

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.
1413	3	*Magister frater Petrus de Bruniquello Episcopus ciuitatis Nouæ, diuini iuris consultissimus his temporibus floruit.*	2
1414	4		3
1415	5	*LII. celebratum est capitulum Generale Auinioni in prouincia Prouinciæ, die Decima nona May, Generali priore absente, qui cum detineretur in negocys concily Constantiensis, Vicarium cum sigillis misit, & absens confirmatus est.*	4
		PONTIFICIA SEDES VACAVIT MENSIBVS. XI.	
1416	1	*Magister frater Iacobus Magnus Toletanus excellentissimus sacrarum scripturarũ indagator (ut quibusdam placet) his temporibus floruit.*	5
1417	2		6
		MARTINVS. V. ROMANVS PONT. CCXV.	
1418	1	*Martinus pontifex bulla sua mandauit, quòd fratres mendicantes non possent se ad alios ordines conferre. Gebennis. Quarto calendas Augusti.*	7
1419	2	*LIII. peracta sunt comitia nostra Generalia Astæ in prouincia Lõbardiæ, die Vigesimaprima Augusti; vbi Magistro fratri Petro mortuo suffectus est Vigesimus secũdus ordinis nostri Prior generalis* MAGISTER FRATER AVGVSTINVS ROMANVS, *sanctus atq; doctissimus uir, qui ordinẽ gubernauit annis. xij.*	1
1420	3		2
1421	4		3
1422	5		4
1423	6	*Magister frater Antonius Ianuensis, uir omnium sui temporis iudicio eruditissimus, omniq;*	5

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		omniq; honore dignus hoc tempore claruit.	
1424	7	*Congregatio Perusina, siue sanctæ Mariæ de Populo his temporibus incepit.*	6
1425	8	*LIIII.celebratus est conuentus noster Generalis Bononiæ in prouincia Romandiolæ, die Vigesimaprima Maij, in quo idem Generalis confirmatus est.*	7
1426	9	*Magister frater Gabriel de Spoleto, Theologus & Philosophus præstantissimus, clarus hoc sæculo fuit.*	8
1427	10		9
1428	11	*Magister frater Paulus Venetus, cuius scripta extant q; plurima, his temporibus Perusinæ Academiæ præerat, apud omnes illustrissimus.*	10
1429	12		11
1430	13	*Martinus pontifex donauit nobis hoc anno corpus gloriosissimæ sanctæ matris Monicæ, & transtulit illud de Ostia Tiberina ad Vrbem, in Ecclesiam sancti Augustini. Quintò idus Aprilis, ubi in marmoreo sepulchro cōditum iacet, ob'q; reuerentiam eiusdem sanctæ multa indulta concessit in fauorem Sanctimonialium, Mantellatarum, Pizocherarum, et Corrigiatarum sanctæ Monicæ, necnō in fauorem Fratrum, eos ipsos ueros, & legitimos beati Augustini nepotes appellans.* *LV.congregatum est capitulum Generale in Montepesulano, in prouincia Narbonensi, die Quarta Iunij, ubi eidem Generali denuò in aliud triennium magistratus prorogatus est.*	12
		EVGENIVS. IIII. VENETVS. PONTIFEX CCXVI.	
1431	1	*Magister frater Augustinus Prior generalis dictus est à Summo pontifice Episcopus Nazanzenus; Episcopatusq; Cæsennæ ei datus est, cui absq; alio capitulo Generalis Vicarius suffectus est* MAGISTER FRATER GERARDVS ARIMINENSIS *prouinciæ Romandiolæ, qui annis tribus ordini præfuit.*	1

Anni salu.	An. Pőt.		An. Ge.
1432	2	Magister frater Andreas de Billis Mediolanensis, Philosophus præstantissimus agnitus est.	2
1433	3		3
1434	4	LVI. coacta est synodus Generalis Mantuæ in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Sextadecima Maij, vbi Vicarius MAGISTER FRATER GERARDVS ARIMINENSIS, vigesimus tertius in Generalem electus est, qui præfuit annis nouem. Hic Pontifex confirmauit Mare magnum Innocentij. iiij. Romæ apud sanctum Petrum. Pridie calendas Maij.	1
1435	5		2
1436	6		3
1437	7		4
1438	8	Concessum est à Priore generali patribus Ilicetanis, ut possent sibi Vicarium generalem singulo biennio ercare, qui immediatè subesset totius ordinis Generalibus.	5
1439	9	LVII. celebrata sunt comitia nostra Generalia Perusii in prouincia Vmbriæ, die vigesimaquarta Maij, ubi idem Generalis confirmatus est.	6
1440	10	Post Electensem Episcopum. S.D.N. Sacristam qui iam grauis annis ab urbe in patriam recessit, Quintus ei subrogatus est ex ordine nostro in illis tribus officijs Frater Rodulphus eius alumnus, qui ciuitatis Castelli Episcopus ordinatus est, fuitq; Cõfessor, Sacrista, & Bibliothecarius felicis memoriæ Dominorum summorum Pontificum. Eugenij. iiij. Nicolai. V. Calixti. iij. et Pij. ij. De alio Sacrista uide anno Domini. 1463.	7
1441	11	Magister frater Gregorius de Alexandria in concionibus præclarus; Theologusq; insignis,	8

Anni salu.	An. Pōt.		An. Gc.
		insignis, his temporibus ordinem nostrum illustrauit.	
1442	12	*Magister frater* Onophrius *Florentinus eiusdem* Vrbis *Archiepiscopus,* Theologus, *&* Philosophus *celeberrimus, ordinis nostri existimationi hac tempestate posuit incrementum.* Carolus *Sfortia* Comes *Cotognolensis, Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis frater, patrum congregationis Iliccetanæ sanctitate cōmotus, hoc anno in coriūdem conuentu scilicet sancti* Saluatoris *habitū nostræ religionis assumpsit, & professus est, uocatusq; fuit frater Gabriel, qui ibidem laudabilē uitam agēs, postea Archiepiscopus Mediolanensis creatus est.*	9
1443	13	LVIII. *peractus est conuentus noster Generalis Senis in prouincia Senensi, Nona die Iuny; in quo, cum Prior generalis Magister frater Gerardus Ariminensis senio confectus, ab officio se abdicasset, Vigesimus quartus creatus est ordinis nostri Prior generalis* MAGISTER FRATER IVLIANVS DE SALEM *prouinciæ Siciliæ, qui ordinem rexit annis quindecim.*	1
1444	14	Ioannes. S.R.E. *Cardinalis Episcopus prænestinensis, Tarentinus nuncupatus, nostri ordinis Protector uigilantissimus, his temporibus fuit.* Congregatio *Lombardiæ circa hæc tempora initium habuit Cremæ per* Venerabiles *viros Magistrum Ioannem Rochum Papiensem, & fratrem Gregorium Cremonensem, qui ambo fuerunt uiri multa scientia & charitate præclari.* et Johanni nouariensium qui sanctitate doctrina et vita insignis fuit	2 initiu cong
1445	15	*Idem Pontifex præcepit omnibus nostri ordinis prioribus de obseruātia, ut cum suis discretis Romam se conferrent, in conuentu sanctæ Mariæ de populo capitulum celebraturi, atq; Vicarium electuri, qui immediatè subesset Patri generali. Romæ apud sanctum Petrum. Quintodecimo calendas Ianuary.*	3
1446	16	*Beatus* Nicolaus *de Tolentino, procurante Priore generali Magistro fratre Iuliano de Salem, ab Eugenio pontifice numero sanctorum hoc anno ascriptus est, & canonizatus calendis Februarys Romæ; vocatusq; est sanctus* Nicolaus *de Tolentino.*	4
		NICOLAVS. V. SARZANENSIS. PONT. CCXVII.	
1447	1	LIX. *peractum est capitulum Generale Bitturis, in prouincia Franciæ, die Vigesi*	5

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1457	3	Frater Ioannes Nouariensis restaurator congregationis Lombardiæ, hac tempestate, & prudentia claruit & sanctitate.	15
1458	4		16
		PIVS. II. SENENSIS PONT. CCXIX.	
1459	1	LXI. peracta est synodus Generalis Tolentini, in prouincia Marchiæ Anconitanæ, die Decimanona Maij; in qua Magistro fratri Iuliano mortuo, Vigesimoquinto loco, ei omnibus approbantibus suffectus est Prior generalis MAGISTER FRATER ALEXANDER OLIVA SAXOFERATENSIS prouinciæ vmbriæ: qui mensibus octo præfuit. In hoc capitulo fuerunt duo Cardinales præsidentes sedis apostolicæ Reuerendissimus & Illustrissimus Ordinis protector. D. Guillelmus de Estouteuilla Episcopus Ostiensis Cardinalis Rothomagensis, & Reuerendissimus & Illustrissimus. D. Cardinalis Papiensis Marchiæ Legatus.	1
1460	2	Magister frater Alexander Prior generalis à summo pontifice S.R.E. presbyter Cardinalis tituli sanctæ Susannæ creatus est, Vicariusq; generalis factus fuit Magister frater Guillelmus Becchius Florentinus. LXII. celebratum est capitulum Generale Senis in prouincia Senensi, die Vigesima septima Septembris; in quo Vigesimus quintus ordinis nostri Prior generalis declaratus est MAGISTER FRATER GVILLELMVS BECCHIVS FLORENTINVS prouinciæ Pisanæ; qui annis decem ordinem gubernauit.	1
1461	3		2
1462	4	Magister frater Ioannes Dathus de Imola Episcopus Imolensis, uir utiq; doctissimus, hoc sæculo illustris fuit.	3
1463	5	Fratre Rodolpho sanctissimi. D. N. Papæ Sacrista obeunte, ei in illis tribus officijs sextus ex ordine nostro successit frater Ioannes de ciuitate Castelli, eiusdem ex sorore nepos, à quo educatus, & in officium adoptatus fuerat, qui primò Episcopus Ciuitatis Castelli fuit, deinde ad Episcopatum Massensem assumptus est, fuitq; Sacrista tempore, DDD. summorum pontificum. Pij.ij. Pauli.ij. & Xisti.iiij.	4

Anni salu.	An. Pót.		An. Gc.
1470	6	*Paulus Pontifex Maximus mandauit, ut Vicarius cõgregationis Lombardiæ immediatè subesset ordinis Generali. Romæ apud sanctum Petrum, Nonis Ianuarij.*	1
1471	7	*Guillelmus de Eslouteuilla, natione Gallus, Episcopus Ostiensis. S. R. E. Cardinalis, Rothomagensis, Sacri Romani Senatus Decanus, & Camerarius. S. D. N. Papæ: post mortem Ioannis Cardinalis Tarentini, annis sex & Triginta hanc nostram religionem, summa cum uigilantia, & charitate protexit, mirum quoq; in modum in bonis spiritualibus, & temporalibus eam auxit, nam Romæ inter alia multa magnificum templum sancti Augustini, cum toto monasterio, suo ære à fundamentis extruxit, et multis ac uarijs paramentis ornauit.*	2
		XISTVS. IIII. SAVONENSIS. PONT. CCXXI.	
1472	1	*Xistus pontifex concessit in Ecclesia sancti Augustini de Vrbe plenariam omnium peccatorum remissionem, in die SS. Augustini, Nicolai, & S. Monicæ. Romæ apud sanctum Petrum, Septimo idus Decembris.* *Concessit etiam nobis Bullam contra Priuilegiorum nostrorum contemptores. Romæ apud sanctum Petrum, septimo idus Decembris.* *Confirmauit quoq; nobis Bullam de non soluenda quarta. Romæ apud sanctum Petrum, septimo idus Decembris.*	3
1473	2	*Magister frater Paulus Romanus Xisti pontificis Pœnitentiarius, & Theologus insignis, ijs temporibus fuit.* *Idem pontifex, sanctæ Mariæ de Populo concessit in omnibus festiuitatibus beatæ Mariæ Virginis, & omnibus sabbatis, plenariam omnium peccatorum remissionem. Romæ apud sanctum Petrum, Sexto idus Septembris.*	4
1474	3	*Frater Baptista Ianuensis congregationis Ianuensis, Inclytus Pater & Autor, miro sanctitatis refertus odore, hac tempestate clarüit mirabiliter; suis enim sanctis Moribus & uirtutibus, ac salutari doctrina q; plurimos ad Christum diuinitus traxit; Religionemq; nostram magno & Religiosorum & Conuentuum numero breui tempore mirabiliter auxit; congregationemq; ab ipso fundatam, ad instar illorum priscorum nostrorum patrum, in christiana paupertate, sobrietate, pietateq; uiuentiũ, esse uoluit, atq; uigilantissimè sanctissimeq; instituit: ne ijs quoq; temporibus deesset qui in deterius cotidie labentem regularem obseruantiam restitueret.*	5

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1475	4	Idem pontifex multas gratias ordini nostro concessit; primum quidem cõfirmauit et ampliauit omnia priuilegia ordinis, tam ad indulgẽtias, q̃ ad omnes alias gratias tum spirituales, tum temporales concessa, & spectantia, deinde illa ipsa reddidit ampliora; demum omnibus & singulis indultis et priuilegijs ordinibus prædicatorum et minorum concessis, ita frui & gaudere nos uoluit, ac si nobis specialiter fuissent cõcessa, & hoc sub forma Maris magni. Romæ apud sanctũ Petrũ, Septimo idus Februarij.	6
1476	5	Magister frater Iacobus Aquilanus Prior generalis, cum annos Duos & Nonaginta uixisset, mortuus est Romæ, die Vigesima octaua Martij, & Vicarius Generalis suffectus est Magister frater Ambrosius Coranus prouinciæ Romanæ.	1
1477	6	LXVI. coactum est capitulum Generale Romæ, Prima diæ Iunij, in quo, præsidente Reuerendissimo Protectore Cardinale Rothomagensi, præfatus MAGISTER FRATER AMBROSIVS CORANVS Vigesimus octauus ordinis Generalis declaratus est; præfuit autem annis octo.	1
1478	7	M. frater Petrus de Rubeis Senensis, Theologus præstãtissimus, hoc seculo floruit.	2
1479	8		3
1480	9		4
1481	10	Frater Gratia Catharinus congregationis Montis Orthoni, uir sanctissimus his temporibus florere cœpit.	5
1482	11	LXVII. celebrata est synodus Generalis Perusii, die Vigesima sexta Maij; in qua, præsidente Magistro fratre Gaspare Vrbeuetano ordinis Procuratore, idem Generalis confirmatus est. — — In hoc capitulo definitum fuit, ut quilibet frater nostræ religionis, tam in publicis q̃ in priuatis orationibus, cæterisq; bonis operibus, et specialiter in Missis, oraret pro salute & felicissimo S.D.N. Xysti Papæ. iiij. ac omni eius familia, quippe qui inter cætera beneficia nobis exhibita, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo uetustate ferè consumptam unà cum Monasterio à fundamentis extruxit. Item quod eadem fieret oratio pro Reuerẽdissimo et Illustrissimo ordinis nostri Protectore, ob maxima sua in nos beneficia, & indefessos labores, quos annis Sex & Triginta pro nostra religione pertulit, & eo quòd nobis Ecclesiam cum monasterio Sancti Augustini extruxerit, in qua plus Centũ millia aureorũ expendit, et pro ijs beneficijs	6

Anni salu.	An. Pót.		An. Ge.
		beneficijs superioribus orationibus additura est, ut singulis annis perpetuis temporibus in die immediatè sequente Octaua sancti Augustini, nisi dominica dies esset, cantaretur in singulis conuentibus nostri ordinis una missa sancti Augustini, pro felici statu suo & suorum, die uerò Lunæ post tertiam Dominicam fieret Anniuersarium pro defunctis eiusdem cum solenni missæ apparatu, iuxta conuentuum dispositionem; & hoc mandatum est inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruandum sub pœna priuationis officiorum.	
1483	12	*Magister frater* Thomas Penket Anglus, *philosophus insignis, his tẽporibus sua doctrina & se, & ordinem illustrauit.*	7
1484	13	*Mortuo* Guillelmo Rothomagensi *Cardinali Ostiensi, et religionis nostræ protectore, id munus* Raphaeli Riario Liguri, Xysti *pontificis Maximi nepoti, & S. Georgij ad velum Aureum Diacono Cardinali, demandatum est.* *Magister frater* Lippus Aurelius Brandolinus, *qui Paradoxa christiana ædidit, hoc seculo claruit.*	8
		INNOCENTIVS. VIII. IANVENSIS. PONT. CCXXII.	
1485	1	MAGISTER FRATER SILVESTER DE BALNEOREGIO *prouinciæ* Romanæ, *Magistro fratri* Ambrosio Corano *Vicarius substitutus, naturæ eodem anno concessit; cui iterum Vicarius generalis subrogatus est* MAGISTER FRATER ANSELMVS DE MONTE FALCONE *prouinciæ* Vmbriæ, *qui apud Ilicetanos sanctissimè uixerat.*	1
1486	2	LXVIII. *peracta sunt comitia nostra* Generalia Senis, *die* Quartadecima *Maij; in quibus Vigesimus nonus ordinis Generalis creatus fuit* MAGISTER FRATER ANSELMVS DE MONTEFALCONE, *qui annis decẽ ordini præfuit, quo nil sanctius hæc secula habuere, cum nihilominus habitus sit doctissimus.* *In hoc capitulo decretũ fuit quòd regula.S. Augustini semel in* Hebdomada *legeretur, scilicet feria.vi.et cotidie etiam aliquid de constitutionibus, uel ordinario legeretur.* *Item quòd in* Dominica, *quæ uenit infra octauam.S. Augustini, fieret de ea absq; officio beatæ Virginis.* *Item quòd celebraretur officium Transfigurationis, & octaua omnium sanctorum.* *Itẽ quòd de nullo festo fieret, nisi de ijs, quæ sũt in calẽdario Ro.curiæ, exceptis nostris.* *Item quòd in octaua beati* Nicolai de Tolentino *non fieret de aliquo festo, nisi de beatæ Virginis natiuitate.* *Itẽ quòd cõmemoratio.S. Augustini celebraretur singulo mẽse sub officio semiduplici.*	1

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		nte Castelli Alexandri Papæ.vi.Cōfessor.De alio Sacrista uide anno Domini.1498.	
1495	3	Frater Ioannes Bernardus Sauonensis cōgregationis Lombardiæ, uir incorruptæ uitæ & multis animi dotibus exornatus, ijs temporibus uixit.	10
1496	4	MAGISTER FRATER MARIANVS DE GENESTANO congregationis Lombardiæ, ad ordinis regimen substitutus est Vicarius generalis, uiuente adhuc generali Magistro fratre Anselmo, ipso Generali ob infirmitatem suam hoc à summo pontifice postulante.	1
1497	5	Lxx. congregatum est capitulum Generale Romæ, die Quarta Maij; in quo Trigesimus ordinis Generalis electus est MAGISTER FRATER MARIANVS DE GENESTANO, qui ordinem rexit anno uno, is prædicandi gloria consensu omnium suis temporibus princeps habitus est. In hoc capitulo statutum fuit, ut omnes fratres nostri ordinis siue conuentuales, siue obseruantes unis & ijsdem uterentur ordinis constitutionibus. Quòd etiam scribatur unus liber, in quo omnes cōtineantur prouinciæ, omnia singularum prouinciarum monasteria, & etiam singulæ congregationes cum suis conuentibus, tam in Italia quàm extra, cum singulorum monasteriorum bonorū mobilium et immobilium annotatione, qui apud Generalem ordinis seruetur, & hoc idem omnes prouinciales facerent in suis prouincijs singillatim.	1
1498	6	MAGISTER FRATER GRATIANVS FVLGINAS prouinciæ Vmbriæ Vicarius generalis subrogatus est Magistro fratri Mariano mortuo; qui tribus annis Vicarius stetit. Mortuo Sacrista.D.Papæ Magistro fratre Augustino; iubente Alexandro pontifice, Episcopus Massensis, qui non erat ex ordine nostro, officium Sacristiæ assumpsit, & annum non compleuit; nam diuo Augustino uolente priuatus est. Alexander pontifex hoc anno nobis concessit Bullam, qua officium Sacristiæ in perpetuum per fratres nostri ordinis exercendum fore declarauit, & de gratia speciali cōcessit. Romæ apud sanctum Petrum, idibus Octobribus. Eiecto Episcopo Massensi, frater Zacharias Sauonensis congregationis Lombardiæ, Septimus ex ordine nostro ad Sacristiam uocatus est, fuitq; tempore. DDD. summorū Pōtificum Alexandri.vi, Pij.iij et Iulij.ij. De alio Sacrista uide anno D.1504.	1
1499	7	Frater Ambrosius Calepinus Bergomensis, ex cōgregatione Lombardiæ, qui Dictionarium composuit, clarus his temporibus fuit.	2

Anni salu.	An. Pôt.		An. Ge.
1500	8		3
1501	9	LXXI.coacta est synodus Generalis Firmi,in prouincia Marchiæ Anconitanæ, die Vigesima nona Maij;ubi Trigesimus primus Generalis ordinis creatus est MAGISTER FRATER GRATIANVS FVLGINAS: qui annis tribus ordinem rexit.	1
1502	10	Frater Franciscus Zampanus Calaber fundator congregationis Calabriæ,his temporibus apud omnes insignis fuit.	2
1503	11	Magister frater Paulus Zabarella Patauinus,Episcopus primùm Argolicensis,dein de Archiepiscopus Patrensis,uir disertus & eruditus,magno religioni, & patriæ honori fuit.	3
		PIVS. III. SENENSIS. PONTIFEX. CCXXIIII.	
		IVLIVS.II. SAVONENSIS LIGVR. PONT. CCXXV.	
1504	1	Magister frater Augustinus interamnensis,prouinciæ Vmbriæ,Vicarius Generalis substitutus fuit Magistro fratri Gratiano mortuo,qui apud Ilicetanos sanctissimam uitam transegerat. Fratri Zachariæ Sauonensi defuncto, in officio sacristiæ octauus ex ordine nostro successit Magister frater Nicolaus Aquapendentanus,qui à Iulio.y.(cui gratissimus erat)creatus fuit Archiepiscopus Dyrrachiensis. De alio Sacrista uide anno Domini. 1508.	
1505	2	Hoc anno congregatio Alemaniæ,quæ etiam Andreæ proles dicta est,occultè, inscioq; Generali Bullam obtinuit,qua immediatè subesset sũmo Pontifici,eoq; colore ab unione ordinis separarta est, quæ quidem separatio pessimũ in ecclesia fructum fuit,ut circa annum domini.1517.uidebitur. LXXII.celebrata sunt comitia nostra Generalia Perusii,in prouincia Vmbriæ,die Sexta septembris,in quibus Trigesimus secundus ordinis Generalit declaratus fuit MAGISTER FRATER AVGVSTINVS INTERAMNENSIS, qui anno uno ordinem gubernauit.	1

In hoc

Anni salu.	An. Pôt.		An Ge.
		In hoc capitulo priuatus est Magister frater Petrus *Calaforra* Procurator *ordinis hoc officio, cum esset pœnitentiarius in Basilica sancti* Petri, *& in eius locum assumptus est Magister frater* Ioan. Antonius Theatinus, *uir omniũ iudicio eruditissimus.*	
1506	3	*Magister frater* Egidius Viterbiensis, Vicarius *generalis subrogatus fuit Magistro fratri Augustino defuncto.*	1
1507	4	LXXIII. *peractus est conuentus noster* Generalis Neapoli, *in prouincia* Terræ *laboris, die* Vigesima *tertia* May, Ferrando *consaluo* Magno Duce Hispaniarum Regis *impẽsas faciente, ubi omnium uotis* Trigesimus *tertius ordinis* Generalis *dictus est præfatus* MAGISTER FRATER EGIDIVS VITERBIENSIS, *prouinciæ* Romanæ, *qui prædicandi gloria, trium linguarum peritia, apud principes gratia, suo sæculo illustrissimus fuit: præfuit autem ordini annis undecim.* Iulius *pontifex concessit* Bullam *auream* Patri *generali, in qua præter id quòd omnia priuilegia quomodolibet ordini concessa per prædecessores suos summos* Pontifices *confirmauit, multas alias gratias, indulgẽtias, & immunitates adiunxit.* Romæ *apud sanctum* Petrum. Nonis Octobris.	1
1508	5	*Pontifex idem concessit* Bullam *quæ uocatur sigillum omnium priuilegiorum, in qua dicitur quòd gratiæ omnes concessæ* Mantellatis, *&* Corrigiatis, *utriq; sexui concessæ intelliguntur; item, quod omnes bona nostra occupantes sint excõmunicati.* Romæ *apud sanctum* Petrum, Octauo *calendas* Septembris. *Dedit etiam nobis diploma confirmationis bonorum omnium, in quo nobis concessit, quòd priuilegia quæ habent & in posterum habituri sunt cæteri mendicantes, nostra quoq; sint: confirmauit deinde nobis loca, bona, stabilia, & fructus & multa alia, quæ longum esset enarrare.* Romæ *apud sanctum* Petrum *pridie calendas* Iuly. *Magistro fratri* Nicolao Aquapẽdentano *Sacristæ,* D.N, Papæ *uita functo,* Nonus *ex ordine nostro ei suffectus est Magister frater* Gabriel Anconitanus, *qui & ipse fuit* Archiepiscopus Dyrrachiensis, *cum* Romæ *esset* Generalis *socius: seruiuit autem* Iulio. II. Leoni. X. Hadriano. VI. *&* Clementi. VII. *De alio sacrista uide anno* Domini, 1534.	2
1509	6	*Magister frater* Paulus Genestanensis, *& linguarum peritia, & uarijs scientijs apprimè ornatus, hac tempestate claruit.*	3
1510	7	*Magister frater* Valerius Ianuensis, *congregationis* Ianuensis, *sua uirtute hæc secula*	4

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
		illustriora reddidit.	
1511	8	LXXIIII. *peractum est capitulum Generale Viterbij, in prouincia Romana, Octaua die Iulij, in quo Generalis Magister frater Egidius Viterbiensis confirmatus est: huic capitulo interfuit Cardinalis Farnesius, qui postea Pontifex Maximus creatus, appellatus est* PAVLVS. III.	5
1512	9	*Congregatio Dalmatiæ, ijs temporibus (ut quibusdam placet) initium sumpsit.*	6
		LEO. X. FLORENTINVS PONT. CCXXVI.	
1513	1	*Leo Pontifex cōcessit nobis, ut indulgentiæ concessæ quatuor ordinibus mendicantiū, non essent reuocatæ propter indulgentias Basilicæ sancti Petri: & quòd mantellatæ gauderent omnibus nostris gratijs, priuilegijs, & indulgentijs; corrigiatæ uerò tantū indulgentijs. Romæ apud sanctum Petrum, Sexto idus Maij.* *Concessit insuper Bullam, qua omnia nostra priuilegia & domos, bona, & iura, indulta, immunitates, & indulgentias per prædecessores suos summos pontifices denuò confirmauit, & quicquid à sede apostolica sine consensu. P. Generalis impetratum esset, quod iuribus totius ordinis uel partium eius, legibus quoq; regulæ, constitutionibus, & ordinationibus aduersaretur irritum decreuit esse, & inane. Romæ apud sanctum Petrum, Quarto idus Iunij.*	7
1514	2	*Pontifex idem confirmauit nobis priuilegia per Iulium. ij. concessa. Romæ apud sanctum Petrum. Nonis Februarij.* *Item, ut indulgentiæ nostræ extenderentur ad nostros infirmos, hospites, & seruitores, Romæ apud sanctum Petrum, Octauo idus Februarij.*	8
1515	3	LXXV. *coactus est conuentus noster Generalis Arimini, in prouincia Romandiolæ, die Vigesima septima Maij; ubi eidem Generali iterū cura ordinis cōtinuata est.*	9
1516	4	*Magister frater Felix Pratensis, qui psalterium interpretatus est, insignis habetur.*	10
1517	5	*Annus nostro ordini grauissimus ac pestilentissimus, quo Martini Luteri hæresiarchæ omnium qui fuere, quiq; futuri sunt sceleslissimi, infandum nomen ex Andreæ* *proles*	11

Anni salu.	An. Pôt.		An. Ge.
		proles, siue Alamaniæ congregatione audiri cœptum est; qua in re illa dũtaxat utimur consolatione, quòd ea congregatio, longè priusquàm, hoc monstrum pareret, ab unione ordinis subreptitys se Bullis segregauerat, exemeratq́;.	
1518	6	Magister frater Egidius Viterbiensis Prior generalis. S.R.E. Presbyter Cardinalis Tituli sancti Matthæi à Leone. X. declaratus fuit, cum alys triginta, qui posteà etiam Patriarcha Costantinopolitanus dictus est. & sub Clemente. vy. Hispaniarum de latere Legatus fuit. Vicarius autem Generalis ei subrogatus fuit, Magister frater Gabriel Venetus, prouinciæ Marchiæ Taruisinæ.	1
1519	7	LXXVI. peracta est synodus Generalis Venetijs, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Vndecima Iuny; atq; in ea prædictus MAGISTER FRATER GABRIEL VENETVS Trigesimus quartus ordinis Generalis electus est; præfuit autem annis decem & octo.	1
1520	8	M.F. Egidius olim nostri ordinis Generalis et à Leone, X. Cardinalis creatus, mortuo Raphaele Riario Cardinale, Protector nostri ordinis declaratus est.	2
1521	9		3
		HADRIANVS. VI. TRAIECTENSIS GERMA, P. CCXXVII	
1522	1		4
		CLEMENS. VII. FLORENTINVS. PONT. CCXXVIII.	
1523	1		5
1524	2	Magister frater Ambrosius Neapolitanus Episcopus Lamosensis, & suffraganeus Mantuanus, his temporibus uixit, cuius multæ lucubrationes Mantuæ seruantur, et præcipuè contra Luterum. Circa hæc tempora nonnulli fratres. ex prouincia Hispaniæ, uiri religiosi & eruditi ad nouas Indias, in quibus Dei benignitate lumen fidei fulgere cœperat, facta sibi à maioribus potestate conscendentes, profecti sunt; ubi & uitæ exemplo & doctrina maximum fructum Domino attulerunt; nostramq; religionem augentes, monasteria circiter quadraginta construxerunt.	6

Anni salu.	An. Pōt.		An. Ge.
1525	3		7
1526	4	LXXVII. celebratum est capitulum Generale Taruisii, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Vigesima Maij; in quo idem Generalis confirmatus est.	8
1527	5		9
1528	6		10
1529	7	Gabrieli Anconitano sacristæ senio laboranti, comes & adiutor, Reuerendissimo Protectore, & Generali laborantibus, datus est Magister frater Alphonsus Aquapendentanus, studij Romani Regens, & non paruæ spei prædicator.	11
1530	8	Magister frater Anselmus Vicentinus: qui contra Luterum scripsit, his temporibus illustris fuit. Clemens pōtifex diplomate amplissimo confirmauit omnia nostra priuilegia per prædecessores suos summos Pontifices ordini concessa. Romæ apud sanctum Petrū sub annulo piscatoris, Pridie calendas Nouembris.	12
1531	9		13
1532	10	Mortuo Egidio Cardinale nostri ordinis Protectore, munus illud suscepit Alexander Farnesius, qui posteà summus Pontifex creatus, dictus est Paulus .iij.	14
1533	11	LXXVIII. habita sunt comitia Generalia Patauij, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die prima Iunij, ubi eidem Generali denuò cura ordinis prorogata est.	15
1534	12	Gabriele sacrista. S.D.N. Papæ defuncto, decimus ex ordine nostro in eius locum suffectus est Magstier frater Alphonsus Aquapendentanus, qui Clementi .vij. & Paulo III. seruiuit, à quo etiam Episcopus Bouinensis primò, deinde Archiepiscopus Amalphiæ est ordinatus. De alio Sacrista uide anno Domini. 1544. PAVLVS III. FARNESIVS. ROMANVS. PONT. CCXXIX. Protectore	16

Anni falu.	An. Pōt.		An. Ge.
1535	1	Protectori nostri ordinis Alexandro Farnesio in pontificem Maximum electo, Nicolaus Rodulphus Florentinus. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis successit.	17
1536	2	Magister frater Nicolaus Tridentinus trium linguarum peritissimus, qui multa è græco in latinum transtulit, magnæ apud eruditos, hoc seculo, existimationis fuit.	18
1537	3	Magister frater Gabriel Venetus Prior generalis obijt, die Vigesima tertia Aprilis, cui Vicarius suffectus est Magister frater Ioannes Antonius Theatinus.	1
1538	4	LXXIX. congregatum est capitulum Generale Veronæ, in prouincia Marchiæ Taruisinæ, die Nona Iunij, in quo Trigesimus quintus Prior generalis nostri ordinis creatus est MAGISTER FRATER IOANNES ANTONIVS THEATINVS prouinciæ Aprutij, qui præfuit mensibus Octo. In hoc capitulo præsidens fuit Reuerendissimus Cardinalis Simoneta. Magister frater Ioannes Antonius Prior generalis obijt Romæ, die Decima Septembris, & Vicarius generalis suffectus est Magister frater Hieronymus Neapolitanus congregationis Carbonariæ.	1
1539	5	LXXX. Comitia nostra Generalia habita sunt Neapoli, die Vigesima quinta Maij, in quibus, omnium suffragijs electus est Trigesimus sextus Prior generalis ordinis nostri, præfatus Vicarius MAGISTER FRATER HIERONYMVS SERIPANDVS NEAPOLITANVS. In hoc capitulo factum fuit senatusconsultum de rebus Luteri, & promulgata sunt decreta contra illius hæresiarchæ, & sectarum eius doctrinam. Ad hæc in templo nostro Sancti Augustini frequentissimo populo Manibus Imperatricis Augustæ Isabellæ Lusitanæ uxoris Caroli. V. Augusti parentatum est, quæ per id tempus uita excesserat, laudataq; fuit pro amplo suggestu perpetua & eleganti oratione à magistro Theophilo Neapolitano, Pro rege Petro Toleto, & cunctis Regni proceribus astantibus.	1
1540	6	Paulus Pontifex concessit nobis, ut apostatas qui rationem administrationis reddere nolentes, aut bona religionis asportantes, uel grauissimorum criminum pœnas fugientes, ab ordine discederent, possemus cogere pœnas dare, inuocato etiā si oporteret auxilio brachij secularis. Romæ apud sanctum Petrum, Octauo calendas Martij. Idem Pontifex concessit etiā, ut cum Decimæ imponerentur, medium illarū soluere tantummodo teneremur. Romæ apud sanctum Petrum, Nono calendas Maij.	2

An.ni. salu.	An. Pót.		An. Ge.
1541	7	*Magister frater Ambrosius Quistellius Patauinus, qui super quatuor Sententiarum scripsit, hoc tempore illustris fuit.*	3
1542	8	*Idem pontifex concessit nobis, quòd decedente Generali ordinis, Prouinciales, Priores, Vicarij generales, Cõmissarij, Visitatores & Procurator generalis, & Prælati officiales dicti ordinis in suis officijs, curis, & administrationibus perseuerarent, donec per successorem Priorem generalem, aut Capitulum generale reuocati fuissent.* Romæ apud sanctum Marcum, Quintò calendas Iulij. *Idem pontifex mandauit conseruatoribus Priuilegiorum nostrorum sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ quò ad Episcopos, quò ad alios uerò excõmunicationis & interdicti, ne fratres nostros à sententijs & censuris suorum superiorum absoluere auderent; ac declarauit eas absolutiones esse nullas.* Romæ apud sanctum Marcum, Sextodecimo calendas Augusti.	4
1543	9	LXXXI. *congregatum est capitulum Generale Romæ, die Tertia decima Maij, in quo eidem Generali omnium uotis prorogatus est in aliud quadrienniũ magistratus.* In hoc Capitulo *renouata sunt decreta in doctrinam Luteri, & adhærentium.* Item *actum fuit de reuisendis, & examinandis antiquis constitutionibus, quæ non videbantur his nostris temporibus in omnibus conuenire; quare ad hoc munus obeundũ quinque uiri graues & prudentes deputati sunt, uidelicet, Venerabiles Magistri Fabianus Ianuensis, Franciscus Gambasiensis & Syluester Vicentinus in Italia, Magister Petrus Guerente in Gallijs, & frater Thomas Villanouanus in Hispanijs; ut cum eas uidissent, & in compendium reduxissent, ferrent ad capitulum Generale proximè futurum, ut de eis definitores iudicarent, & discernerent quid agendum.*	5
1544	10	*Die Vigesima tertia Octobris Magister frater Alphonsus Aquapendentanus, Archiepiscopus Amalphiæ, & Sacrista. D. N. Papæ ad meliorem uitam uocatus est.* *Huic Vigesima quinta Nouembris Vndecimus ex ordine nostro Sacrista subrogatus est Magister frater Ioannes Iacobus Neapolitanus, cum ordinis nostri in Romana curia esset procurator.*	6
1545	11	Frater Ioannes Hoffmeysterus Sueuus, *singulari pietate & uitæ sanctimonia, eloquentia insuper, & catholicæ ueritatis propugnatione his temporibus clarus, floruit, Luteranis infensus, tanquàm uerè Antiluterus; quod illius commentaria in D. Pauli Epistolas, & conciones in Euangelia totius anni, & liber de sacrificio Missæ, ac Dialogi clarè ostendunt, Carolo Cæsari, ac Ferdinando Regi acceptissimus, omnibusq;*	7

Ioannes de ſancto Facundo Hiſpanus.
Ioannes ſimplex Reatinus.
Ioannes Rochus de Mantua, *fundator congregationis* Lombardiæ.
Iacobus de Cerqueto.
Iordanus Saxo.
Ioannes de Lana Bononienſis.
Ioannes Senenſis Ilicetanus.
Iacobus ſenenſis Ilicetanus.
Latinus ſenenſis Ilicetanus.
Lupus de ſuriano.
Nicolatius ſenenſis Ilicetanus.
Nicolaus de Tiniis ſenenſis Ilicetanus.
Petrus ſenenſis cognomento ſanctus, Ilicetanus.
Petrus de Fabriano.
Petrus de Camerino.
Petrus Eugubinus.
Pellegrinus de Verona.
Philippus Placentinus.
Petrus de Valle Roſiæ ſenenſis, Ilicetanus.
Rigus de Miratoio.
Simon de Tuderto,
Simon de Caſſia.
Thomas Ariminenſis.
Thaddæus de Cavario.
Tebaldus de Verona, epiſcopus Veronenſis.
Vitus Vngarus.
Vgolinus de Mantua.
Vgolinus de Cortonio.

Mulieres Sanctæ noſtri ordinis.

Sancta Monica mater. S. Auguſtini.
Sancta Perpetua
Sancta Baſilica
{ Sorores sancti Auguſtini.

Beatæ.

B. Clara de Montefalcone.
B. Clarella de Montefalcone.
B. Chriſtiana Vicecomes Mediolanenſis.
B. Chriſtina de Spoleto.
B. Chriſtina de ſancta Cruce Vallis arni.
B. Helena de Vtino.
B. Petruccia Geneſtanenſis.
B. Rita de Caſſia.
B. Sancta Geneſtanenſis.

Index omnium prouinciarum, et congregationum ordinis Eremitarum S. Augustini.

Prouincia	*Lombardiæ.*
Prouincia	*Romana.*
Prouincia	*Marchiæ Anconitanæ.*
Prouincia	*Franciæ*
Prouincia	*Rheni, & Sueuiæ.*
Prouincia	*Aragoniæ, & Cathaloniæ.* et Valentiæ
Prouincia	*Marchiæ Taruisinæ.*
Prouincia	*Tholosæ, & Aquitaniæ.*
Prouincia	*Coloniæ.*
Prouincia	*Hispaniæ, Cui adiuncta sunt monasteria apud nouas Indias extructa.* — Prouincia Castellæ. Prouincia Veticæ. ~~Prouincia Lusitaniæ.~~ ~~Prouincia Aragoniæ.~~
Prouincia	*Romandiolæ.*
Prouincia	*Narbonæ & Burgundiæ,*
Prouincia	*Poloniæ, et Bauariæ.*
Prouincia	*Lusitaniæ.*
Prouincia	*Vmbriæ.*
Prouincia	*Prouinciæ.*
Prouincia	*Vngariæ.*
Prouincia	*Sardiniæ.*
Prouincia	*Pisana.*
Prouincia	*Terræ Sanctæ.*
Prouincia	*Senarum.*
Prouincia	*Terræ Laboris.*
Prouincia	*Siciliæ.*
Prouincia	*Apuliæ.*
Prouincia	*Aprutij.*
Prouincia	*Calabriæ.*
Prouincia	*Saxoniæ, et Turinghiæ.*
xxvij *Prouincia*	*Angliæ, et Hyberniæ.*
Congregatio	*Ilicetana, siue Sancti Saluatoris.*
Congregatio	*Sancti Ioannis de Carbonaria.*
Congregatio	*Perusina, siue sanctæ Mariæ de populo.*
Congregatio	*Lombardiæ.*
Cnngregatio	*Montisortboni.*
Congregatio	*Ianuensis.*
Congregatio	*Apuliæ, siue Dulceti.*
Congregatio	*Calabriæ.*
Congregatio	*Dalmatiæ.*
x. *Congregatio*	*Andreæ proles, siue Germaniæ.*

O

Errata in Ordinario, & mutata.

Pagina prima, fa. prima, li 17. instiutis, institutis. li. 22. Gap. 11. Cap. 11.

Fa. 2. li. 21. eeclesia, ecclesia.

li. 17. à priore manfuri, à priore, mãsuri. li. 31. absolotio, absolutia.

Pag. 4. fa. 2. li. 33. à priore, ab hebdomadaria. li. 36. exuendmu, exuendum.

Pag. 5 fa. prima, li. ultima, dele, & dicta oratiane dominica, quia statim ante salue regina dicta est.

Pag. ea. fa. 2. li. 5. incensatur, incensetur.

Pag. 6. fa. prima, li. 10. in tono de missa, in tono orationum, quæ cantantur ad horas.

Pag. 7. fa. 2. li. 3. addendum est quod sequitur. Si autem priori uidebitur expediens aliter fieri propter populum assistentem, poterit finita sermone, & facto signo, cum fratribus intrare ecclesiam, & completorium incipere. Præfata uero lectia Ioannis, poterit legi in mane, dum fratres reficiuntur.

li. penultima & ab octaua, ab octaua.

Pag. 8. fa. prima, li. 18. sacerdotis, sacerdos flexis genibus, Sacerdotis uel Diaconi, qui flexis genibus &c.

li. 19. dele, postmodum cantores, usque ad minus duplex inclusiuè.

Fa. 2. li. 11. poct, post. li. 12. et. 13. diaconem, lege, diaconum, ea q. sic semper antea scriptũ sit.

Pag. 9. fa. prima, li. 9. Graduali, Gradualis.

Fa. 2. li. 6. diaconis, diacanus. li. 14. ius, thus.

Pag. 10. fa. prima, li. 11. police, pollice.

Fa. 2. li. 19. sinistra, dextra. li. 29. posquàm, pastquàm.

li. 36. Quo dicta, lingua, adde, uel manu dextra.

Pag. 11 fa. prima, li. 12. diaconus similiter, diaconus, eo dicta similiter.

Fa. 2. li. ultima, sequentiam non dicat, adde, si sibi uidebitur.

li. 15. cyborys, ciborys. li. 16. seris utiq; firmitatis, seris utrinq; firmatis, li. 21. sacratarum, sacrandarum. li. 27. fasta, facta.

li. 29. in cõmuni, in cõmuni eũ canuentu. li 37. dũ quãlibet hostiã, dũ singulas hostias.

Pag. 13. fa. prima, li. 7. festis. festis.

Fa. 2. li. ultima, in fine, adde, oremus.

Pag. 14. numerus stat. XVII. & debet stare. XIIII.

Fa. prima, li. prima, dele, uel cantentur.

li. 2. post uerbum completory adde, & cantata antiphona cum oratione, ut supra &c.

li. 4. cantentur, dicantur. li. 5. et sequatur, et dicta in fine tota antiphona, sequatur.

li. 9. Adde, sermo Sancti patris nostri Augustini episcopi.

li. 11. ascensu ascensu. li. 13. additum, aditum. li. 14. actionis, astiones.

Pag. 15. fa. prima, delendæ sunt lineæ. 13. et. 14. incipiendæ à Deinde, et sic corrigendæ. Quando autem prædictæ uigiliæ cantantur, finita completorio beatæ uirginis, statim ab hebdomadario, uel ab eo cui cantor innuerit, intonetur antiphona, Benedicta tu, et cantentur psalmum antiphona et uersu ut supra etc. Vltima autem lectione finita cantetur statim antiphona, quæ pro tempore dicenda est, cum uersu Aue maria, et oratione Omnipotẽs, ut sup.

li. 17. preparasti, præparasti.

Pag.19.fa.prima, li.6.obprobrium,opprobrium.
Pag.21.fa.2. li.5. Tu qui es? Tu quis es?
Pag.26.fa.prima, li.7.& Exultemus, Et exaltemus.
Pag.29 fa.prima, li.2.mãnum,manum.
Pag.30.fa.2.ante orationem Gratiam tuam,adde,Oremus.

Errata in Compendio.

Nota quòd iam impressa erat pars compendij, quæ à fratris Lanfranci, primi post unionem ordinis Generalis diebus incipit, cum et alteram partem, quæ ab ortu beati patris Augustini sumit initium, imprimi curauimus: propterea numeros literæ.e.eosdem esse inuenies cum numeris ternionis.ee.

Pagina ergo.25.quæ est prima compendij, facie prima, linea.3.nastro, debet legi, nostro. li.8. plurimum,plurima. li.10.consecratontes, consecrantes.

Fa.2.li.7.parenbus,parentibus, li.14.Manicheorum, Maniehæorum.

Pag.26.fa. prima, li. prima. Adeodati, Adeodato. li.7.numerus anni salutis, qui stat.187. debet stare.387.

Fa.2.li.9.Centumcellis, centuncellis. li.37.duntataxat,duntaxat.

Pag.27.fa.prima,li.8. latinè nesciebat, latinè loqui nesciebat. li.20. suauissimus, suauissimum. li.26 uisitari,uisitaturi. li.31.Antistibus, Antistitibus.

Fa.2.li.29.ex chronica,ex chronicis. & ita semper corrigas.

li.ultima præcessor,prædecessor, & sic semper corrigendum est,ubi de mortuis est sermo.

Pag.28.fa 2.li.19.nostris, nostri. li.24. translaum, translatum.

Pag.29.fa.2.li.25.Perniciosa, Perniciosam, li.31.accerrimus,acerrimus.

Pag.30 fa prima,li.18.in ecclesia quæ in memoria eius fabricata fuit,quiescit, Corrigas sic, in ecclesia sanctæ Agnetis ordinis nostri, quiescit.

Extat autem alia ecclesia extra ciuitatem, quæ in memoria eius fabricata est, cum monasterio eiusdem ordinis.

Pag.31.fa prima,li.10.a,ac.

Pag 32.annus salutis, qui stat.1283.debet stare.1253.

Pag.33.fa.prima,li.18.nostrum, nostrum.

Pag.34 fa.2,li.4 dele uerbum illud, Tituli, cum ad Cardinales Diaconos non extendatur.

Pag.36.fa.2.li.24.Carolus.XII.Carolus.II. li.29. Ludouici.Ludouici, & sic semper corrigas.

li.30.Quintadecima, Vigesimaquinta.

Pag.39 fa prima,li.21.scilicet qui, scilicet quæ. li.24.Pontisicis, Pontificis.

Pag.40 fa prima,li.3.Barptolemæus,Bartholomæus,et sic semper corrigas.

li.14.sestum, festum.

Pag.41.fa.2.li.3 sepellire,sepelire.

Pag.42.